rioribus Congregationibus ſtandum voluit. Addidit alia non pauca in ſuperiorum aſſertionum confirmationem, reponente, & contradicente Lemoſio. Quibus exactis, dedit Pontifex Congregationi finem.

Judicium de Dubio, ſuperius agitato.

(1) „ Congregatio quinquageſima-quarta celebrata eſt die Sabbati, 29. menſis Maii, poſt horam 12. anno D. 1604. Quoniam Patres Societatis, ut vendicarent propoſitiones Molinæ a nota erroris, conſtituebant in præteritis ſeſſionibus, tanquam principium ſibi certum: Hoc objectum, Deus eſt ſumme bonus, & juſtus, & propterea ſumme amandus, quia magna, atque innumera in nos contulit beneficia, deditque pro nobis Filium ſuum in mortem, eſſe objectum indifferens ad actum naturalem, & ſupernaturalem: voluit S. D. N., ut expenderetur, quam veritatem hoc principium haberet; poſuitque de hac re ſingulare quoddam dubium, videlicet: An quando intellectus, &c. & reſolvit Congregatio, objectum, prout proponitur in Dubio, non eſſe naturale, aut indifferens ad actum naturalem, vel ſupernaturalem, ſed omnino ſupernaturale, & ad ſupernaturalitatem reſtrictum; ita ut attingi non poſſit a voluntate humana, ſine Gratiæ Divinæ auxilio: Maxime, cum complectatur Myſterium Incarnationis Filii Dei, & mortis ipſius, quam pro nobis paſſus eſt: quod S. Auguſtinus docuit lib. 7. Conf. cap. 9. Diſſenſit D. Epiſcopus Aquilanus, qui dixit, ſaltem probabiliter poſſe dici, quod, ſi proponatur ſub ratione naturali, poſſit attingi per actus naturales. P. Rada dixit, hujuſcemodi objectum, ſi proponatur ſub aliqua ratione naturali, eſſe naturale, quamvis in ſe ſit ſupernaturale: Si vero proponatur per lumen fidei, eſſe objectum ſupernaturale: Molinam vero intelexiſſe de objecto, propoſito per lumen fidei: Quocunque vero modo proponatur, attingi non poſſe per actum naturalem abſolutum, qualem ponit Molina. P. Regens Collegii Carmelitarum dixit, hujuſmodi objectum, ſi proponatur per lumen rationis naturalis, eſſe objectum naturale: ſi vero per lumen fidei proponatur, eſſe ſupernaturale; & ſic attingi poſſe vel actu naturali. De facto vero Molinæ, ſe impræſentiarum non agere, quia de illo in Dubio propoſito nihil quæritur; & ſæpe alias de illo dictum fuit, diſcurrendo ſigillatim per plures propoſitiones. Dimittitur Seſſio prope horam 16.

CAPUT XXXVI.

Quid Congregatione quinquageſima-quinta diſputatum? Quid quinquageſima-ſexta definitum?

DIe 30. Junii 1604. habita eſt coram Clemente VIII. Congregatio 55. ad quam, & deinceps novi aſciti ſunt DD. Cardinales, Anna Deſcars de Givri, Ferdinandus Taberna, Anſelmus de Monopoli. Diſputationis Argumentum fuit altera ſuperioris Dubii pars, a Baſtida in diem alteram dilata: *An, quando intellectus proponit voluntati Deum amandum, & colendum, ut ſumme bonum, & ſumme juſtum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ, & propterea ſumme amandum, qui pro nobis & vitam, & ſanguinem profudit: & ſcelera punientem æterna damnatione: An, inquam, hoc modo dicatur proponere hoc objectum, tanquam rem, ad fidem pertinentem; atque adeo ut objectum fidei?*

Superioris diſputationis principiis ſtetit Ferdinandus de Baſtida. Quæſtioni hac definitione ſatisfecit: *Quando intellectus per naturalem cognitionem fidei humanæ, vel aliam ſimilem, proponit voluntati Deum amandum, ut ſumme bonum, & juſtum, qui pro nobis ſanguinem fudit; dicendum eſt, quod hoc modo proponit rem, ad fidem pertinentem, ſed non proponit illam, tanquam ad fidem pertinentem: atque adeo proponit rem, quæ eſt materiale objectum fidei; ſed formaliter loquendo, non proponit illam, tanquam objectum fidei.*

Unum hac in definitione ſupponi, ait; nimirum poſſe intellectum proponere voluntati rem, quæ fide Divina creditur, & non ut creditam fide Divina: alterum affirmari, nempe quod, quando intellectus ita rem aliquam proponit, rem quidem proponit, quæ ad fidem pertinet, ſed non ut pertinentem ad fidem.

Utrumque probandum ſibi ſumſit. Primum quidem exemplo intellectus Beati, qui Deum trinum, aliaque, ad fidem attinentia, proponit voluntati, non tamen ut credita fide Divina; tum exemplo Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui veritates illas omnes ſibi proponunt, non tamen uti fide Divina creditas, quæ in ipſis nulla eſt; tum demum, quia, cum res, fide Divina creditæ, per ſcientiam, aut opinionem attingi poſſint; nihil vetat, quominus res, ad fidem attinens, ab intellectu voluntati proponatur, *Non ut credita, ſed ut ſcita, vel opinata.*

Secundum hac ratione confirmavit: Quia dum intellectus rem aliquam, ad fidem pertinentem, proponit, non ut creditam fide Divina; non eam proponit, quatenus ſubeſt rationi formali Divinæ fidei. Quæ omnia, inquit, paucis complexus eſt Doctor Angelicus 2. 2. q. 5. art. 3. ad 1. ubi docet, hæreticum articulos fidei, circa quos non errat, non ſimpliciter ex fidei habitu tenere, ſed propria voluntate, atque judicio.

Iſtud

(1) *Ex actis Secretarii. In Compendio vero ſic*: Reſolvit Congregatio, objectum hoc, prout proponitur in Dubio, non eſſe naturale, aut indifferens ad actum naturalem, vel ſupernaturalem, ſed eſſe omnino ſupernaturale, atque adeo neque proponi ab intellectu, niſi per lumen ſupernaturale fidei elevato, neque attingi poſſe a voluntate humana ſine Gratiæ Divinæ ſpeciali adjutorio. Cum autem Molina contenderit, docendo, perſuadere, hominem, ſaltem fidelem, poſſe proprio acumine, vel alterius ſuggeſtione ante mentis oculos proponere maxima, eaque innumera beneficia tum naturæ, tum gratiæ, quæ Deus in nos contulit; illius inſuper ſummam bonitatem, & juſtitiam; juſtis ſempiternam felicitatem, quam, ut inquit Apoſtolus, nec oculus vidit, nec auris audivit; impiis vero ignem ſempiternum, extremamque miſeriam propoſitam: inde vero deduxerit, ejuſmodi hominem poſſe non ſolum timore pœnæ, ſed etiam propter Deum, ſumme dilectum, uſque adeo peccata deteſtari per ſolas vires naturæ, ut etiam valeat, hac ſola facultate naturali conari mortem pro Deo oppetere.

Cum etiam Defenſores illius conſtanter, tanquam principium certum prædictæ ſententiæ, aſſumſerint, objectum hoc ſub iis formalibus rationibus, ſub quibus continetur in Quæſtione propoſita, eſſe objectum indifferens ad actum naturalem, vel ſupernaturalem; ita ut, ſi per ſupernaturale fidei lumen proponatur, ſit ſupernaturale; ſi vero per lumen naturale rationis, ſit naturale, poſſirque hoc modo ſola naturali facultate attingi; concluſum fuit, prædictam Molinæ ſententiam eſſe Pelagianam; illius vero fundamentum, a Defenſoribus productum, adverſari expreſſe doctrinæ SS. Thomæ, Proſperi, & Auguſtini, & tam aperte favere hæreſi Pelagianæ, ut, illo conſtituto, Pelagianiſmus nullo modo vitari poſſit.

Iſtud hæreticorum exemplum in rem ſuam vertit Thomas de Lemos, ſuæque actionis fundamentum poſuit. Unam duntaxat addidit obſervationem: videlicet, hujuſcemodi hæreticos, nonnullis fidei veritatibus ex propria voluntate, proprioque judicio aſſentientes, ex falſa exiſtimatione arbitrari, ſe illis ex fide Divina, ac tanquam revelatis a Deo, aſſentiri; tametſi ſe res aliter habeat. Ex quo intulit, ad propoſitæ difficultatis reſolutionem, intellectum hæreticorum, hujuſcemodi falſa exiſtimatione laborantium, objecta illa voluntati proponere, tanquam ad fidem formaliter attinentia, ac velut illius objecta formalia: ita tamen, ut voluntas eorum in illa duntaxat ferri poſſit mera quadam velleitate, non actu perfecto, & abſoluto.

Dicti hæc ratio fuit: Intellectus ita proponit objectum voluntati, ſicut illud apprehendit, etiamſi in apprehenſione fallatur: ſed intellectus illius hæretici apprehendit, licet falſo, illud objectum, tanquam formale fidei, & tanquam formaliter pertinens ad fidem: ergo illud proponit voluntati, tanquam objectum formale fidei. Majorem, ut inconcuſſum principium, a Philoſophis, ac Theologis ſtatui, monuit, unde innumeras veritates deducunt. Sic juxta Philoſophos objectum voluntatis non ſolum eſt vere bonum, ſed etiam fictum, & apparens; quia intellectus, ſemel in rei apprehenſione deceptus, ita eam voluntati proponit, ut eam apprehendit. Sic ſecundum Theologos voluntas, diſcordans a ratione errante, eſt mala: ut ſi ratio errans dictat, hodierna die eſſe jejunandum ex præcepto Eccleſiæ, peccat voluntas, ſi jejunare renuat; quia, licet reipſa præceptum non exſtet, illud tamen ratio errans apprehendit, & uti tale proponit voluntati: ſeu ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 5. ad 1. *Licet judicium rationis errantis non derivetur a Deo, qui eſt lex æterna; tamen ratio errans judicium ſuum proponit, ut verum, & per conſequens ut a Deo derivatum, a quo eſt omnis veritas.* Ex quibus omnibus intulit Lemos: *Licet ratio errans in hæreticis non derivetur a Deo, nec a prima veritate, nec adhæreat objecto formali fidei; tamen illa ratio errans apprehendit illud, ſicut a prima veritate revelatum, & tanquam objectum formale fidei; & ex conſequenti illud voluntati proponit, tanquam objectum formale fidei. Unde ſi voluntas illius hæretici nollet adhærere illi veritati, peccaret ſine dubio novo peccato hæreſis, quia diſcordaret a ratione errante, & proponente illud objectum ſub ratione formali fidei. Hinc ſequitur etiam, quod, ſi voluntas illius hæretici haberet habitum ſpei, & haberet actum circa idem objectum; actus ille ferretur in objectum ſupernaturale, quia tanquam ſupernaturale eſſet propoſitum.*

Conceſſit nihilominus Gratiæ Defenſor, Paganum, cui fidei veritates ab amico proponerentur, illis, uti materialiter tantum ad fidem pertinentibus, aſſenſurum, ſi propter hominis proponentis auctoritatem, uti propter rationem formalem, aſſentiretur.

Juxta hæc, adverſæ partis momenta paucis occupavit. Beatorum exemplum, ut a controverſiæ ſtatu alienum, explosit; de viatoribus enim quæſtio movebatur. Alterum, ab hæreticis petitum, & S. Thomæ auctoritate firmatum, in Molinam retorſit: quia ii fide pure humana, aſſenſuque mere probabili, nonnullis veritatibus adhærent: juxta Molinam autem homo, præhabita notitia rerum fidei, poteſt viribus naturæ illis aſſentiri, tanquam revelatis, & quia a Deo revelata ſunt, aſſenſu omnino firmo, immo & quandoque firmiori, quam in fidelibus reperire liceat. Non minus ab inſtituto alienum notavit, quod de ſcientia, & fide oppoſitum fuerat. Chriſtus enim pro nobis in Cruce mortuus (de quo controverſia vertebatur) ratione naturali nullo pacto attingi poteſt, uti cætera nonnulla, quæ non tam fidei argumenta ſunt, quam præambula. Ad ultimum juxta poſita principia reſpondit, intellectum, aliquod fidei objectum proponentem, fide Divina a ſe minime creditum, adhuc tamen illud voluntati proponere, uti fide creditum, & ut ejus rationi formali ſubeſt, ſi illud, uti tale, tametſi falſo, apprehendat.

Adverſus hanc ultimam Lemoſii reſponſionem potenter declamavit Baſtida, quaſi univerſa Theologiæ fundamenta concutientem; illumque veluti violatæ fidei reum egit, tanquam qui habitum ſpei ſupernaturalis in hæretico admiſiſſet. Primum obfirmato animo rurſus defendit Lemos, ut ex prælaudata S. Thomæ doctrina (1) optime derivatum. Alterum ſibi affingi conteſtatus eſt; quia hypothetice tantum, veluti quorundam probabilem opinionem, obiter innuerat, poſſe in hæretico remanere ſpem, non in ratione virtutis Theologicæ, ſed in ratione materiali, ut nonnulli Scholaſtici loquuntur. Inſtitit Baſtida, id ab illo ſimpliciter admiſſum, affirmans: negavit ille, aut certe eo tantum ſenſu dictum, ait. Interpretationem illam, uti retractationem, fugillavit Joannes de Salas, Baſtidæ ſocius: *Reverendus Pater*, inquit, *jam retractat ſententiam ſuam; non enim ſecundum fidem poterat dictum illud ſuſtineri.* Cui ſubiratus Lemos: *Non me retracto, ſed magis explico, quod dixi. Etſi ſententia mea meereretur retractationem, libenter eam retractarem: ſed utinam vos, o Patres, retractaretis ſententias veſtras.* Ad juris nihilominus abundantiam ſubjunxit paulo poſt: *Etiamſi admittamus, hæreticum carere habitu ſpei, & in ratione virtutis Theologicæ, & etiam in ratione materiali; tamen, quia in hac ratione ſpei præcipue non poſui fundamentum meæ rationis, ſed in doctrina S. Thomæ de conſcientia errante: ideo dico, circa objectum ſupernaturale, quamvis propoſitum ut ſupernaturale, poſſe hominem elicere aliquem actum velleitatis, ut dixi.*

Iſtud ultimum rurſus impetiit Ferdinandus de Baſtida; ex quo conſequens fore, ait, ut in objectum ſupernaturale, quatenus ſupernaturale eſt, naturalis actus ferri poſſet. Conſecutionem negavit ille, hoc fultus argumento, ex Patrum Societatis principiis, jam ante annos tres inter diſputandum admiſſis, deducto: *Sicut voluntas damnati, quæ fertur in rem impoſſibilem per velleitatem quandam (dum ſcilicet beatitudinem appetit) non attingit illam, ut eſt impoſſibilis; quia impoſſibile, ut impoſſibile, cum non habeat rationem boni, vel convenientis, non poteſt appeti a voluntate; ſed fertur in illam, ut habet rationem communis boni: ita, quando proponitur res aliqua, tanquam ſupernaturalis, poteſt voluntas in illam tendere per quandam velleitatem, non ut eſt ſupernaturalis, ſed ut habet rationem communis boni.*

Ad reſtim funiculum addidit Joannes de Salas, contenditque, naturalem illum velleitatis actum in eam ſaltem communem rationem boni, uti in objectum naturale, terminatum iri. Cui Lemos: *Non attingit communem illam rationem boni, niſi ut abſtractum a naturali, & ſupernaturali; quod bonum ſub hac communi ratione eſt objectum voluntatis.* Quo dicto, defiit Congregatio hora decima-quarta.

Judi-

(1) 1. 2. q. 19. a. 5. ad 1.

Judicium de Difficultate, superius agitata.

(1) „ Congregatio quinquagesima-sexta celebrata est in sacro Palatio, in Monte-Quirinali, die Veneris, 2. mensis Julii, anno Domini 1604. hora 11. Resolvit Congregatio, objectum, propositum in Dubio a S. D. N., esse rem ad fidem pertinentem, & absolute supernaturalem, ac propterea objectum fidei : atque adeo non posse proponi voluntati ab intellectu sub aliqua ratione naturali ; multo minus voluntatem illud amplecti sine lumine supernaturali, & auxilio Gratiæ Divinæ. Huic communi Consultorum omnium judicio non assentiebatur D. Episcopus Aquilanus ; censuit enim, quando proponitur hoc objectum sub ratione naturali, non pertinere ad fidem, neque ad objectum fidei formaliter, sed tantum materialiter ; bene tamen, quando proponitur sub ratione supernaturali sub qua. P. Rada dixit, prædictum objectum semper in se esse supernaturale ; posse tamen proponi sub ratione naturali ; & tunc quoad modum proponendi esse objectum naturale ; in se tamen supernaturale. P. Regens dixit, esse objectum supernaturale ; posse tamen esse naturale, si proponatur per lumen rationis naturalis. Absolvitur Actio hora decima-quinta.

CAPUT XXXVII.

Quid Congregatione quinquagesima-septima disputatum ? Quid quinquagesima-octava definitum ?

DIe 26. Julii 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 57. Ad illam, aliasque sequentes, loco Generalis Prædicatorum, infirmitate detenti, ac postmodum, recuperata valetudine, in Hispaniam profecti, accessit Didacus Alvares, Lemosio comes adjunctus. Disputationis argumentum fuit : *Præsupposito, quod in via Molinæ liberum arbitrium, & gratia sint duæ causæ partiales, & quod liberum arbitrium, separatim consideratum, nihil habeat a gratia, nisi possibilitatem naturalem, quam Deus in sua creatione ei dedit ; a se autem habeat, ut possit assentiri omnibus mysteriis fidei revelatis, tanquam a Deo revelatis, & quia a Deo revelata sunt ; & sic quod possit credere, & sperare, & Deum amare super omnia, atteri, & conteri de peccatis commissis, cum proposito amplius non peccandi ; possitque nedum minores, sed etiam graves tentationes superare, vel saltem cohibere consensum, ne gravibus tentationibus consentiat ; & in summa omnia bona exercere, non solum bona ratione objecti, & officii, sed etiam quæ sint bona ex omnibus bonis circumstantiis ; & hæc omnia facere intuitu, & consideratione bonitatis, & justitiæ Dei præmiantis, & punientis ; & sic ex timore, & amore Dei : a gratia autem habeat motivum, videlicet, quod hæc fiant ex motivo pietatis Christianæ : quænam ex istis causis partialibus in justificatione nostra præponderet ; supposita præsertim lege, quod facienti, quod in se est, Deus det gratiam, ac supposita opinione Molinæ, quod liberum arbitrium determinet ipsam gratiam, eamque, cum vult, possit respuere, & vanam reddere ?*

Præmisit Ferdinandus de Bastida, singulas propositi Dubii partes, quibus Molinæ sententia minutatim exponitur, eo se duntaxat sensu, modo, temperamento sumere, quo in superioribus Congregationibus a Societatis Actoribus acceptæ sunt. Observavit pariter, ea quæstionis propositæ verba, *Liberum Arbitrium, separatim consideratum, nihil habeat a Gratia, nisi possibilitatem naturalem, quam Deus in sua creatione ei dedit*, perturbata esse ; legique oportere, ut in 35. Congregatione, ubi ea de re singulariter sermo fuit, proposita sunt : Nimirum, *Liberum Arbitrium, separatum a gratia, nihil habet a Deo, nisi possibilitatem naturalem* ; alias sequeretur liberum arbitrium, juxta Molinam, a gratia habere possibilitatem naturalem, in creatione acceptam, quod absonum est.

Iis præmissis cautionibus, conclusit Bastida, ex iis Molinæ assertis consequens non esse, ut liberum arbitrium præcipuas in Justificatione partes obtineat.

Conclusionem probavit, distincta earum omnium assertionum enumeratione. In primis, inquit, hæc illatio falsa est : In libero arbitrio est potentia remota, & incompleta ad actus supernaturales : Igitur liberum arbitrium in justificatione præeminet : Causa enim proxima, & completa præeminet causæ remotæ, & incompletæ.

Rursus ista nutat : Liberum arbitrium habet ex se sine gratia potestatem ad actus morales : Igitur potior est Justificationis causa : Etenim duo hæc longe diversa sunt.

Similiter ista omnino ruit : Gratia non denegatur homini facienti, quod in se est, ex viribus liberi arbitrii : Ergo liberum arbitrium est causa principalis in Justificatione : Quia ex vi legis hujus, liberum arbitrium concurrit tantum, ut causa moralis, & per accidens ad Justificationem : eique propterea præponderat gratia, uti causa per se.

Nec magis ista sibi constat : Liberum arbitrium determinat gratiam : itaque primas obtinet in Justificatione : quia nec antecedens in Molina legitur, nec consequens Divo Thomæ probatur, qui quæst. 4. de potentia, influxum causæ primæ a secunda determinari docet ; nec tamen secundam primæ superiorem existimat.

Nec demum hæc ultima consecutio probatur : Liberum arbitrium potest respuere gratiam, illamque vanam reddere : Igitur liberum arbitrium est causa principalior : Quia istud antecedens nihil significat aliud, quam liberum arbitrium gratiam pro libito respuere, aut acceptare, juxta Concilii Tridentini definitionem ; ex quo nulla ei super gratiam adscribitur prærogativa.

Mox varia S. Thomæ testimonia, in superioribus Congregationibus pro Molinæ defensione seorsim adducta, in unum indicem collegit, ut Angelicæ, ac Molinianæ doctrinæ consonantiam ostenderet : ac tandem Summo Pontifici perpendendum reliquit ; num potius ex adversa Prædicatorum doctrina inferri debeat, libertatem humanam penitus excisam esse, quam ex Molinianis assertionibus colligi possit, liberum arbitrium primas in justificatione partes obtinere.

Stetit ex adverso Thomas de Lemos : nec modo liberum arbitrium primas in Justificatione partes habiturum, ostendit, si omnes illæ Molinianæ assertiones, in Dubio designatæ, admittantur ; sed si vel ea sola supponatur, quæ ultimo loco

(1) *Ex Actis Secretarii. At in Compendio post hæc verba :* Auxilio Gratiæ Divinæ, *sic additur :* Et ex consequenti evinci, doctrinam Molinæ de actibus credendi, sperandi, diligendi, pœnitendi, & mortem oppetendi pro Deo, ad quæ omnia asseruit sufficientes esse vires naturæ, a nota Pelagianismi nullo modo vindicari posse per distinctiones, a PP. Societatis ia illius defensionem productas, quibus contendebant, objectum illud, prout proponitur a Sanctissimo Domino Nostro, & quodvis aliud, esse indifferens ad actum naturalem, & supernaturalem.

loco notata est : nimirum liberum arbitrium determinare gratiam, ut secum cooperetur. Multa in hujus fuæ assertionis confirmationem ex Augustino, & Angelico Doctore protulit ; suasque assertiones a Suaresii, & Vasquesii cavillationibus defendit.

Postmodum Bastidæ vindicias aggressus est, in quibus non condonandum Dialectico vitium observavit, petitam scilicet a divisis argumentationem ad sensum compositum inferendum. Esto enim, nulla seorsim spectata liberi arbitrii Molinianæ prærogativa, ejus supra gratiam excellentiæ probandæ sufficeret ; adhuc tamen sufficere possent omnes simul acceptæ. Singulis interim capitibus ex abundanti satisfecit, & adversus obliquos Societatis circuitus uniuscujusque illationis robur asseruit. Quapropter illationem primam, a Bastida minus solide impetitam, demonstravit ; tum quia ad potentiam remotam frustra confugerat, cum de libero arbitrio, uti Justificationis causa partiaria, quæstio fuerit ; quo casu non remota, sed proxima causa est : tum quia, licet ex nuda causæ remotæ conditione illatio inferri nequeat, valet tamen, si spectetur, quatenus determinat gratiam, eamque pro nutu suo cassam reddit, aut efficacem.

Alteram præpostere impugnatam probavit : quia non qualescunque actus morales liberi arbitrii viribus tribuit Molina, sed excellentissimos, ac difficillimos, & quidem in ordine ad finem supernaturalem, & justificationis gratiam obtinendam.

Tertiam, uti legitimam, defendit : quia juxta Molinam liberum arbitrium non per accidens tantum se disponit ad gratiam, sed per se, saltem in ordine moris, posita lege commentitia.

Quartam præ cæteris prolixe confirmavit. Antecedens ex Molinæ principiis legitime deduxit : sensum D. Thomæ in quæst. 4. de potentia, cæteris collatis, aperuit : *S. Thomas*, inquit, *tantum intendit, quod Deus in causis secundis suum influxum, illis proportionatum, determinat, non autem quod ab ipsis causis secundis influxus primæ causæ determinetur. Sunt enim ista valde diversa, Influxum primæ causæ determinari in causis secundis : quod verum est ; &, Concursum primæ causæ determinari a causis secundis : quod est falsum, & omnino S. Thomæ contrarium ; qui sæpe docet, Deum suo concursu esse omnium primum determinans, nec ab alio determinari, etiam in genere causæ materialis ; sed quod omnino determinat.*

In quinta consequentia defendenda immorari noluit : quod jam bis, & tertio Concilii Tridentini sensum in superioribus Congressibus expositum fuisset. Multo minus vanas illas de excisa libertate criminationes diluendas, existimavit, quas, olim Divo Augustino toties a Pelagianis objectas, toties a Divinæ Gratiæ defensoribus dissipatas, Sanctissimus Pontifex satis noverat.

Obduruerunt nihilominus Ferdinandus de Bastida, & Joannes de Salas, suaque instaurarunt argumenta. Quibus cum secundo, ac tertio Lemosius reponeret, nonnullaque ex occasione proferret, quibus Gratia ab intrinseco efficax statui, ac confirmari videbatur, solutionem in aliud tempus distulere Molinæ Vindices, dum de Gratia physice prædeterminante sermo fieret : seque hac occasione probaturos, promiserunt, illam, uti Calvinianum errorem, ab omnibus Europæ Academiis proscriptam esse. Congregationem dimisit Pontifex hora 16.

Judicium de Controversia superiori.

(1) „ Congregatio 58. celebrata est die Martis 27. Julii, hora duodecima, anno 1604. „ Agebatur de ultimo Dubio Articuli noni, videlicet, *An præponderet in via Molinæ liberum arbitrium, vel potius gratia ?* Et resolvit Congregatio, in via Molinæ præponderare liberum arbitrium ; cum tamen secundum S. Augustinum, & veritatem Catholicam præponderet gratia. Dissenserunt D. Episcopus Aquilanus, & P. Regens Collegii Carmelitarum, qui dixerunt, neque a Molina asseri liberum arbitrium præponderare, neque etiam deduci ex illius doctrina, etiam præsuppositis iis, quæ in Dubio continentur. Absolvitur prope horam 15.

CAPUT XXXVIII.

Quid Congregatione quinquagesima-nona disputatum ? Quid sexagesima definitum ?

DIe 27. Octobris 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 59. Cœpit hic specialis de Scientia-Media disputatio, juxta undecimum Pontificis Scriptum. *An sit sententia S. Augustini, quod ante absolutum Decretum Divinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa, & infallibilis contingibilium, dependentium a causa libera, qualem Molina per Scientiam-Mediam Deo tribuit ?*

Patres Societatis statim ab initio monuit Sanctissimus Pontifex, ut propositæ difficultati satisfacerent, non fovendæ contentionis studio, sed indagandæ veritatis desiderio. Quo audito, Ferdinandus de Bastida in prolixam orationem ingressus est ; & qui hactenus hastatis pugnare videbatur, nunc universum triariorum robur emisit. Itaque præmisit, singulas quasque hæreses novas in Ecclesiam quæstiones intulisse, eaque sorte factum, ait, ut antiqua Scientiæ-Mediæ veritas, occasione hæresis Calvinianæ, in quæstionem nuperrime vocaretur, pro concilianda infallibilitate Divinæ Gratiæ cum humani Arbitrii libertate. Tum controversiam moveri monuit, *De omnibus universaliter futuris contingentibus conditionatis, dependentibus a causa libera ; sive bonis, sive malis, sive indifferentibus ; sive naturalibus, sive supernaturalibus : tam de his, quæ nunquam erunt, quia nunquam ponetur conditio, qua posita, fuissent futura, quam de his, quæ in aliqua differentia temporis sunt de facto futura, consideratis tamen prius ratione, quam Deus aliquid de eorum absoluta futuritione statuat.* De his vero tria in proposito dubio quæri, dixit : Primum, An cognoscantur a Deo ? Secundum, An cognoscantur certa, & infallibili cognitione ? Tertium, An hæc certa, & infallibilis cognitio in Deo sit ante absolutum decretum Divinæ voluntatis ? E quibus primum duntaxat in hacce disputatione pertractandum aggressus est, de reliquis ordine suo in aliis Congressibus disputaturus.

Hanc igitur assertionem statuit : *Datur in Deo cognitio futurorum conditionalium, a causa libera dependentium : quidquid sit, an hæc cognitio infallibilis sit, & ante decretum, de quo postea dicetur.*

(1) *Ex Actis Secretarii. In Compendio vero sic :* Resolvit Congregatio, secundum doctrinam S. Augustini, & veritatem Catholicam, omnino tenendum esse, in mysterio nostræ Justificationis Gratiam Christi præponderare hominis libero arbitrio ; Molinam vero ab hac Catholica doctrina prorsus defecisse. Quamvis enim hoc verbo (præponderare) usus non fuerit ; ex universa tamen illius doctrina de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, aperte deducitur, sententiam ipsius fuisse, quod liberum arbitrium in mysterio nostræ Justificationis præponderet Gratiæ Divinæ.

illamque juxta fidei principia adeo certam asseruit, ut non nisi ægre adduceretur, ut crederet, Prædicatores ea in re coram Sanctissimo dissensuros,

In aperta veritate demonstranda diutius excurrere, probationesque congerere facile fuit. Et certe probationes admodum viginti in hunc finem congessit ex solis Scripturis; ubi futura hujuscemodi libera prænuntiat Deus; non utique prænuntiaturus, nisi sciret. Addidit Augustini, Doctoris Angelici, veterumque Thomistarum testimonia non pauca. Piorum etiam virorum, totiusque Ecclesiæ precationes subjunxit, quibus Deum exorant, ut ea miseratus avertat, quæ ad salutem animæ nocitura prænoscit. Quibus omnibus prolixius enarratis, in Prædicatores conversо sermone bilem effudit: „ Negent igitur, *inquit*, „ Paternitates vestræ, si placet, ut Molinam accusent, non Theologorum communes opiniones, aut veterum Thomistarum recepta placita, ut hucusque fecerunt; sed ipsamet fidei „ Christianæ prima principia, & elementa; impugnent Dominicam Orationem; faciant Deum „ adeo audacem, ut quæ nescit, affirmet; adeo „ imprudentem, ut finem efficaciter intendat, „ quem se consequi posse, non præscit; faciant „ & mendacem, cum expresse dicat, se scire, „ quæ ignorat; spolient infinitum illud Divini „ intellectus lumen summa rerum præscientia; „ arguant ingentis vel ignorantiæ, vel temeritatis S. Thomam, cæterosque Scholasticos Proceres, cum sibi tribuerint eorum futurorum „ cognitionem, quam Deus ipse non habet; damnent piorum vota, & orationes, etsi ex Ecclesiastica regula factas; &, si plus his omnibus refert, unum impugnare Molinam, negent „ Deo viri Religiosi, pii, & docti eorum futurorum cognitionem, quam omnes homines, „ quantumvis rustici, vel impii, illi tribuunt, „ quorum, eum de his conditionalibus interrogantur, una vox est, quasi ipsa respondente „ natura: Ego nescio, Deus scit. Nos enim „ non tanti ememus, in eas nos angustias redigere, ad quas Physica Prædeterminatio cogit; „ sed potius, ne a S. Augustino vel insanissimi, „ vel perversissimi judicemur, semper cum illo „ proclamabimus, Nihil esse verius, quam Deum „ hæc futura cognoscere.

Vanas illas Bastidæ declamationes, quibus in aerea certaverat, derisit Thomas de Lemos. Dissimulatum ab eo controversiæ statum, alioque imprudenter detortum, ad legitimos cardines reduxit, præmisso hujuscemodi disputationis suæ præludio. „ Beatissime Pater, ad cujus pedes, quæcunque dixero, humiliter suppono, attente considerans omnia, quæ Reverendus Pater protulit, hoc unum deprehendi, Reverendum Patrem dissimulasse difficultatem, & puncto a „ Sanctitate Vestra proposito minime respondisse. „ Unde, ne similis illi existam, difficultatis puncta proponam: basis enim totius doctrinæ „ Molinæ, sine qua, etiam ut ipse expresse fatetur, omnis ejus sententia penitus evanescit, „ est hæc Media-Scientia, quæ Deo tribuit certam cognitionem contingibilium, dependentium „ a causa libera, ante omne decretum absolutum „ Divinæ voluntatis. Unde ad evertendum hoc totius suæ doctrinæ totale fundamentum, primo proponam rationem, atque „ quidditatem hujus Mediæ-Scientiæ; deinde fuisse illam semper per S. Augustinum impugnatam, & expugnatam, ostendam: tertio objectis omnibus, quæ in defensionem illius non „ sunt proposita, sed debuerant opponi, Deo adjuvante, satisfaciam.

„ Circa primum, hæc Media-Scientia, quæ „ sic primitus fuit a Molina nominata, ad hoc „ introducitur, ut per illam certo cognoscat Deus „ ante omnem actum Divinæ voluntatis, quid „ creatum arbitrium ex sua innata libertate actura sit; si tamen illud Deus constituat in „ tali ordine rerum, & circumstantiarum, & si „ cum ipso libero arbitrio jam operante ipse „ Deus concomitanter concurrere voluerit. Itaque, antequam Deus absolute velit, aut absolute permittat, quid liberum arbitrium creatum „ acturum sit, certo cognoscit Deus per hanc „ Scientiam-Mediam hoc futurum conditionatum: „ Si ego constituam creatum arbitrium in tali „ ordine rerum, & circumstantiarum, & cum „ illo jam operante concomitanter concurrere voluero; ipsum creatum arbitrium ex sua innata „ libertate se certo determinabit ad hoc volendum in particulari. Unde futurum conditionatum cum hac duplici conditione, modo expressa, est objectum formale, & adæquatum „ hujus Mediæ-Scientiæ. Et ratione utriusque „ conditionis includit hæc Scientia-Media in suo „ objecto voluntatem Dei concurrendi cum Arbitrio, non præviam efficacem, sed comitem: „ immo hanc præviam voluntatem efficacem expresse negat. Et quia objectum hujus scientiæ „ est conditionatum, ideo vocatur ab aliis hæc „ scientia Scientia conditionata, seu Scientia conditionatorum, vel Scientia futurorum sub conditione.

„ Rursus, quia omne conditionatum, impleta „ conditione, transit in absolutum, & Defensores hujus Scientiæ-Mediæ expresse constituunt „ omnem hanc conditionem, perfecte adimplentam in omni creato arbitrio, quod jam sub „ Cælo constitutum est in tali ordine rerum, & „ circumstantiarum; ideo, consequenter loquendo, Defensores hujus Scientiæ de objecto conditionato ex ipsa inferunt aliam præscientiam „ absolutam de futuro absoluto, qua Deus absolute videat, Liberum Arbitrium, constitutum „ in suo ordine, ex sua innata libertate operari „ quidquid operatur. Immo ad hanc præscientiam „ de futuro absoluto, sicut ad finem, ordinatur „ hæc alia de objecto conditionato a suis Defensoribus, ut ex propriis ipsorum verbis aperte „ monstrabo. Hæc ergo est propria ratio, & natura hujus Scientiæ-Mediæ, & sui objecti conditionati.

„ Aperta jam hac natura Scientiæ-Mediæ, ex „ qua deducitur scientia absoluta contingentium, „ facile ostenditur secundum, quod proposui, & „ quod a Sanctitate Vestra propositum fuit in „ puncto. Dicendum est enim, nihil expressius in „ doctrina S. Augustini inveniri, quam ipsum „ impugnasse semper, & expugnasse hanc Scientiam-Mediam, qua Deus dicitur, certo, & infallibiliter cognoscere contingibilia, dependentia a causa libera, ante absolutum decretum „ Divinæ voluntatis, sive volentis, bona fieri, „ sive permittentis mala. Et omittens modo permissionem malorum, ostendo, quod proposui, „ hac unica demonstratione.

Demonstratio porro ad istum syllogismum revocabatur. Nihil apertius impugnat Augustinus contra Pelagianos, quam certam in Deo præscientiam, qua Deus cognoscat, quid liberum arbitrium ex innata libertate facturum sit boni, Deo non donante, & faciente, ut faciat. At nihil aliud Scientiæ-Mediæ nomine intelligit Molina, quam scientiam, qua Deus certo cognoscat, quid liberum arbitrium, si in tali rerum ordine constituatur, bene operaturum sit ex sua innata libertate, Deo non donante, & faciente, ut operetur. Igitur nihil magis damnat Augustinus, quam Scientiam-Mediam.

Majori propositione permultis S. Augustini testimoniis confirmata, Minorem ostendit in Molinæ Concordia; tum in quæst. 14. & 15. disp. 50. §. *Scisciitabitur*, in Congregatione 27. jam producto; tum in disp. 48. §. *Juxta ea*; ubi hoc idem, propter impletam jam conditionem, futuris absolutis accommodat: „ Accedente vero, „ *inquit*, determinatione libera voluntatis Dei, „ non qua liberum arbitrium creatum determinet ad alteram partem contradictionis, (ut „ Scotus, & alii volunt) sed qua, relinquendo „ illud liberum, & omnino indifferens, ut, ad „ quod voluerit, porrigat manum, statuat creare hunc, vel illum ordinem rerum, & causarum, ac circumstantiarum, in quo sunt hæ, „ vel illæ causæ liberæ, certo cognoscit complexiones omnes contingentes secundum esse futurum absolute, & simpliciter, ac sine ulla hypothesi, & conditione. Itaque eo differimus a „ Scoto, quia arbitramur, rationem, ob quam „ Deus certo cognoscit, quænam pars contradictionis cujusque earum complexionum contingentium, quæ pendet a libero arbitrio creato, „ fit futura, non esse determinationem voluntatis „ Divinæ, qua liberum arbitrium creatum inflectat, & determinet ad unam, aut alteram partem; sed esse determinationem liberam, qua „ liberum arbitrium in hoc, vel illo ordine rerum, & circumstantiarum statuit creare. Neque hanc solam determinationem arbitramur esse rationem sufficientem, quod Deus cognoscat, quæ pars contradictionis cujusque harum „ complexionum fit futura; sed hanc una cum „ comprehensione in sua essentia cujuscunque liberi arbitrii creati per scientiam naturalem: „ qua comprehensione, ante illam determinationem voluntatis, certo scit, quid tale liberum „ arbitrium sit facturum pro sua libertate, ex „ hypothesi, & conditione, quod illud creet, & „ constituat in eo ordine rerum.

Ad hæc partis adversæ suffugia duo præclusit Gratiæ Defensor: non illa quidem a Bastida quæsita, qui nihil ad præsentis disputationis institutum dixerat; sed a Patre Cobos in Scripto, ante annos aliquot elucubrato, meditata. Augustinum non modo de solis futuris absolutis, ut ajebat ipse, non egisse, nec solum Scientiæ-Mediæ abusum in Semipelagianis damnasse, ostendit; verum etiam Molinam eo audaciæ, deveniisse, demonstravit, ut suas de futuris contingentibus aberrationes ad absoluta protenderit, nihilque minus Semipelagianis Scientia-Media abusus fuerit.

Sed & tertiam evasionem, Jesuitis frequentiorem, fusius occupavit; qua Molinam a Semipelagianis distare, ajunt, quod ille homines præsciri credituros existimet per interioris gratiæ virtutem; isti eosdem præsciri credituros putent absque interioris gratiæ dono, si eis tantum Evangelium prædicetur exterius. Quocirca demonstravit inprimis, Semipelagianos etiam ex ipso adjutorio gratiæ credituros homines supposuisse; dicente Prospero in sua ad Augustinum Epistola: *Pene omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; quia finem uniuscujusque prævideris; & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit.* Secundo ostendit, eosdem illos gratiam, Moliniano sensu interiorem, perinde agnovisse; in excitatione scilicet, invitatione, & illuminatione sitam: nec ob id tamen SS. Augustini, Prosperi, Hilarii, Fulgentii censuram evasisse: quod hujuscemodi gratiæ interioris genus a lege, atque doctrina non recederet, nec obesset, quominus homines ex se ipsis, Deoque non operante, credere, ac consentire dicerentur.

Interclusis effugiis, quibus petita ex Augustino demonstratio declinari posset; alias ex Scholastica Theologia deduxit, intestinum Societatis bellum in exponenda Scientia-Media palam fecit; Molinæ, Vasquesii, ac Suarezii antilogias exposuit; ac demum ad Bastidæ objecta progressus est.

Nunc hic opus, ac labor fuit. Duplicem futurorum conditionatorum ordinem distinxit. Horum alia infallibilem, ac necessariam connexionem habent cum conditionibus ibidem expressis: ut, Si Thomas disputat; loquitur. Si Petrus currit, movetur. Si homo habet auxilium efficax ad conversionem; convertetur. Suntque necessaria necessitate consequentiæ, non consequentis; quia consequentia, seu illatio, in qua essentialiter consistit veritas conditionalium, necessaria est; licet consequens sit absolute contingens, & liberum. Alia sunt futura contingentia, & libera, quæ proinde ex propria natura, & ex vi consequentiæ infallibiliem cum suis conditionibus habitudinem non habent: ut, Si percussisses terram septies; devastasses Syriam. Si infans diutius viveret; malitia mutaret intellectum ejus. Futura primi ordinis a Deo cognosci, definivit Vir eruditus, per scientiam simplicis intelligentiæ, qua rerum naturas novit, suæque gratiæ efficaciam. De cæteris sic pronuntiavit: *Illa conditionata secundi ordinis sicut ante decretum Divinæ voluntatis considerata, propria natura, infallibilem veritatem non continent in ratione futuri; ita a Deo ante decretum Divinæ voluntatis non cognoscuntur, ut certo futura; nisi dicamus, quod absit, falsum Divinum intellectum intelligere rem aliter, quam ipsa sit. Post decretum autem Divinæ voluntatis, volentis, & ordinantis, quod, positis illis conditionibus, illud ponatur; (sicut ordinaverat, quod, si ille Rex toties terram baculo percutiret, Syriam devastasset) per scientiam visionis, quæ libera est in Deo, & decretum liberum Divinæ voluntatis supponit, certo a Deo cognoscuntur in ratione futuri.*

Secundum hæc Bastidæ objectis uno verbo respondit: *Reverendus Pater constituit conclusionem affirmativam, Deum videlicet cognoscere hæc futura conditionata; & nobis tribuit; quod hanc conclusionem negemus: quod tamen est falsum. Fatemur enim, Deum hæc cognoscere, secundum quod ipsorum propria natura postulat, ut jam explicavi. Probavit ex multis locis Scripturæ suam conclusionem, quam eadem facilitate poterat confirmare quinquaginta aliis: Ad quæ respondere non est necessarium, quia non militant contra id, quod modo proposui: immo probant, Deum illa futura cognoscere, non ante, sed post decretum suæ voluntatis.*

In aciem rediit Molinæ Vindex. Ut Augustinianæ demonstrationis robur, cui potissimum Lemosius institerat, declinaret, tertium effugium, ab eo licet interclusum, arripuit. Clientis suo, totique Societati ab Adversario afflictum, ait, quasi vellent, homines ex innata libertate, non ex gratiæ dono, sub certis circumstantiis consensuros, præsciri lumine Scientiæ-Mediæ. Momentis tamen, quibus effugium illud Lemosius intercluserat, nihil respondit. Duo duntaxat Molinæ loca, in minoris probationem adducta, leviter attigit, inquiens: *Molina ibi non dicit, Deum per Scientiam-Mediam cognoscere rem, quæ sine ipso Deo facienda est ab arbitrio; sed cognoscere rem, quæ ab arbitrio facienda est sine aliquo decreto prædeterminante.* Quanam autem gratia operetur Deus, ut homo faciat, quove pacto id se operaturum præ-

ſciat, expoſuit ſubjungens : *Itaque cognoſcit Deus per Scientiam Mediam hoc objectum : Si ego voluero, ut voluntas faciat hunc actum, potero facere, ut faciat, decernendo ponere illam ſub iſtis circumſtantiis, in quibus ſi ego illam ponere decrevero, ipſa faciet. Non vero cognoſcit hoc : Si ego voluero, ut voluntas faciat, potero illud conſequi, decernendo illam ponere in iſtis circumſtantiis, & decernendo illam prædeterminare ad hanc partem.*

Inde aliquantulum progreſſus Ferdinandus de Baſtida cæteras ex Scholaſtica Theologia petitas demonſtrationes oppugnavit : cui cum plene Lemoſius repoſuiſſet, objectam ſibi diſſimulatæ, atque alio detortæ quæſtionis accuſationem diluit. Quare, ne fruſtra tot argumentis probaſſe videretur Divinam futurorum contingentium notitiam, quam adeo conſtanter Lemoſius admiſerat ; contendit, Scientiæ-Mediæ impugnatores hanc ipſam communiter negare, ſolitos fuiſſe, factique teſtem unicum adhibuit Cabreram qui 3. p. q. 1. a. 3. diſp. 1. §. 22. n. 367. de Divina futurorum conditionalium notitia diſſerens, hanc a nonnullis Theologis negari ait, a cæteris affirmari ; ipſeque tandem negantibus aſſentitur.

Auctorem ſe neſcire, reſpondit Lemos : nec mirum, ſiquidem ab altero duntaxat anno in Hiſpania vulgabatur. Felicem illum, ſi ex tempore noſſe licuiſſet ! ut, detecta ſiniſtræ interpretationis fraude, Baſtidæ confidentiam retunderet. Id enim unum ex Cabrera corrodi poteſt, quod ibidem num. 382. legitur : *Futura conditionata, quæ aliquo modo, non tamen infallibiliter, connectuntur cum conditione poſita, ex vi illius conditionis, & connexionis cognoſcuntur a Deo probabiliter tantum, ſecundum efficaciam, & inclinationem conditionis poſitæ.* At cujuſvis ſiniſtræ interpretationis anſam amovent verba ſequentia : *Id intelligitur de cognitione, non ex parte Dei cognoſcentis, qui omnia certo, & infallibiliter cognoſcit ; ſed ex parte objecti cogniti. Quia talia futura,* (materialiter ſcilicet ſpectata, & prout in nuda cauſarum contingentium diſpoſitione continentur) *duntaxat ſunt capacia probabilis cognitionis . . . Unde dixi :* ex vi talium diſpoſitionum ; *nam eadem futura conditionata poſſet certo cognoſcere ex vi aliarum conditionum, ad quas infallibiliter ſequerentur ; ſcilicet ex vi auxilii efficacis, & prædeterminationis, &c.*

Ut ut eſt, ne levior videretur objectio, ex unico obſcuri nominis Auctore deſumpta, idem ipſum ex Lemoſii dictis colligere, aggreſſus eſt Molinæ Vindex. Quod ut agéret, cœpit Lemoſio affingere, quod tria hæc : Si Thomas diſputat ; loquitur : Si currit ; movetur : Si Petrus habet auxilium efficax ; convertitur ; inter conditionalia libera numeraſſet. Mirum, quo ſenſu Jeſuita repulſus eſt ! *Ego*, reſpondit Lemos, *non dixi, hæc eſſe futura conditionalia libera : ſed diſtinxi omnia conditionalia, tam neceſſaria, quam libera. Iſtæ ſunt impoſitiones : oportet intelligere.* Gradum retulit fervidus Actor, & inconſultæ accuſationis veniam petiit. *Sit ita*, ſubjunxit ; *Reverendo Pater, remitto me ad dicta. Forte ego deceptus ſum ; animum imponendi non habui, nec habeo.* Verum, ut erat jacta alea, novam contra reſponſum accuſationem inſtauravit ; id ſcilicet crimini vertens, quod futurum illud : Si Petrus habeat auxilium efficax : convertetur ; inter futura neceſſaria repoſuit, non minus quam iſtud : Si Thomas diſputet ; loquetur. Cui non ſemel reſponſum fuit, eam eſſe neceſſitatem conſequentiæ, non conſequentis : antecedens ſimul, & conſequens perinde liberum eſſe ; illationem tamen neceſſariam.

Hac igitur actione ſubmotus Baſtida ſatis ſibi conſtare ait, Lemoſium certam in Deo futurorum neceſſariorum notitiam admittere : necdum tamen ſcrupulum ſuum omnem amotum iri, donec quid de futuris contingentibus liberis crederet, aperiret. Reſpondit ille ut primum : *Dico, hæc cognoſci a Deo in Decreto ſuæ voluntatis ; ante decretum minime.* Petiit, ut a decreto, ac modo cognitionis abſtraheret : negavit ille. Eo vero importunius urgente, & decreti præciſionem fieri poſtulante ; ſic tandem Lemoſius pronuntiavit : *Dico, & millies repeto ; Ante decretum*, attenta ſcilicet nuda futurorum contingentium ratione, quatenus ſtant in nuda cauſarum defectibilium diſpoſitione, *cognoſci ; non tamen certo, & infallibiliter : poſt decretum autem certo, & infallibiliter cognoſci.* His auditis, ſubintulit Baſtida : *Igitur meum erit, in ſequenti Congregatione oſtendere horum conditionalium nunquam eſſe in Deo conjecturalem cognitionem ; ſed certam, & infallibilem.*

Lemoſio ſtomacho fuit denuo quæſita dilatio ad inutilem quæſtionem enodandam. Cum enim abſtractio a Divino decreto, juxta quam quæſito reſponderat, pure metaphyſica ſit ; nullumque re ipſa detur inſtans, quo Deus nihil de futuris contingentibus determinaſſe ſupponitur, aut quo cauſarum defectibilium nudam diſpoſitionem attendit nullo ſuæ voluntatis ſpectato decreto : ita nullum datur inſtans, quo fallibilis, ac conjecturalis cognitio reperiatur in Deo ; ſed omnis, quæcumque datur, infallibilis, ac certa ſupponitur. Quare in Pontificem converſus, erumpente indignationis impetu, ait : *Semper hic Pater quæris dilationes, & alias Congregationes.* Pontifex etiam, omnia promiſcue confundi, inutilia congeri, ac ſua illos abuti patientia, conqueſtus eſt. Atque interim domuitionem edixit.

Judicium de Argumento, ſuperius controverſo.

(1) „ Congregatio 60. celebrata eſt die Veneris, 29. menſis Octobris, hora 16. anno D. „ 1604. Reſolvit Congregatio, non dari in Deo „ ante decretum Divinæ voluntatis certam, & infallibilem cognitionem futurorum contingibilium, pendentium a cauſa libera, qualem Molina Deo tribuit per Scientiam-Mediam ; Hanc- „ que de Scientia-Media doctrinam traditam fuiſſe a Molina, non ſecundum doctrinam S. Auguſtini, ſed potius contra illam, quam contra „ Pelagianos, & Semipelagianos docuit ; Et ex „ hac de Scientia-Media doctrina multa ſequi incommoda, & abſurda contra Philoſophiam, & „ veterem Theologiam, atque etiam contra fidei „ principia ; & propterea maxime oportere, ut omni-

(1) *Ex Actis Secret. Quæ diſputata, aut judicata ſunt in Congregationibus 60. 61. 62. 63. & 64., quæque latius referentur in Actis, & ex his in hac Hiſtoria, hæc paucis ſic complectitur Caramellus in ſua brevi Narratione, ſeu Compendio.* Reſolvit Congregatio, non dari in Deo ante abſolutum decretum Divinæ voluntatis certam, & infallibilem cognitionem futurorum contingentium, dependentium a cauſa libera, & doctrinam de Scientia-Media, per quam Molina Deo tribuit ejuſmodi cognitionem, non eſſe ſecundum ſententiam S. Auguſtini traditam, ſed a Semipelagianis fuiſſe jam olim invectam, ut Gratiæ Divinæ ſubtraherent, quod naturæ tribuerent ; atque adeo omnino adverſari iis, quæ ille adverſus Pelagianos, & eorum reliquias conſtanter docuit. Cum autem ex hac Molinæ doctrina multa ſequantur incommoda, & abſurda non ſolum contra veterem Philoſophiam, & Theologiam, ſed etiam contra fidei principia ; cenſuerunt omnes, e re Catholica fore, ut, retenta antiqua Theologorum omnium ſententia de unica, ſimpliciſſimaque Dei ſcientia, & ad facile intelligenda ea, quæ ad eum pertinent, illius diſtributione in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, omnino exterminetur ejuſmodi Scientiæ-Mediæ profeſſio. *Huic, & ſequentibus Seſſionibus non interfuit D. Epiſc. Aquilanus, Neapolim profectus.*

„ omnino exterminetur. Et ita cenſuerunt omnes, „ excepto P. Regente, qui dixit, inter alias con- „ ditiones, quibus poſitis, causa libera operare- „ tur, implicari etiam hanc : Si Deus vellet, ut „ operaretur : non tamen hoc eſſe ita intelligen- „ dum, ut ſit neceſſaria conditio : Si Deus vel- „ let eam prædeterminare ad operandum ; ſed tan- „ tum movere aliis auxiliis, citra prædetermina- „ tionem. Et hac in re probabilem cenſuit Mo- „ linæ ſententiam ; licet modus, quo eam probat „ Molina, ei non placeat. Abſolvitur Actio poſt „ horam decimam-nonam.

CAPUT XXXIX.

Quid Congregatione ſexageſima-prima diſputatum ? Quid ſexageſima-ſecunda definitum ?

DIe 29. Novembris 1604. coram Clemente VIII. ſexageſima prima Congregatio celebrata eſt.

Stetit Baſtida in incœpto. Probandum ſibi ſumpſit, Deum futura conditionata, a cauſis liberis pendentia, certo, & infallibiliter cognoſcere, tantoque plures aſſertionis ſuæ probationes congeſſit, quanto verior erat, & apertior. Quo tamen in iis futuris cognoſcendis Deus utatur medio, ne vel leviter indicavit.

Lemoſium offendit feſtivus diſputandi modus, quo veritates, ab adverſariis ſponte admiſſæ, vocantur in controverſiam, ut ea arte certus controverſiæ ſcopus ſtudioſe declinetur. Societatis Actorem, ab inſtituto turpius aberrantem, durius excepit, ſuamque de ventilata quæſtione ſententiam triplici concluſione expoſuit, in hunc modum. *Quia R. Pater in hac, ſicut & in præcedenti Congregatione, nec dubio reſpondit, nec difficultatem tetigit ; ego iſta clarius diſtinguam ſumma brevitate. Sit 1. Concluſio : Deus certo, & infallibiliter cognoſcit omnia futura conditionata, quæ certo futura ſunt, ſi tales adhibeantur conditiones. Vera eſt Concluſio, & tanquam indubitata veritas a nullo unquam fuit negata : & hanc probant, ſi quid probant, omnia in univerſum, quæ R. Pater modo propoſuit. 2. Concluſio : Omnia futura conditionata, quæ non ſunt certo futura, etiamſi conditiones adhibeantur, ſed confinguntur eſſe futura ſub illis conditionibus, non cognoſcuntur certo a Deo, eſſe futura. Et talia ſunt ſine dubio conditionata futura, quæ implicantur in objecto Scientiæ-Mediæ. De illis enim, quæ contendebant Semipelagiani eſſe certo futura, & certo cognoſci a Deo, recte S. Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum affirmat, quod novo abſurditatis genere futura, quæ non ſunt futura, confingunt . . . . 3. Concluſio, & ultima : Certiſſime cognoſcit Deus ; quod illa futura conditionata, ſecundum quod implicantur in objecto Scientiæ-Mediæ, etiamſi omnes illæ conditiones adhibeantur, certiſſime, inquam, cognoſcit Deus, quod nunquam futura erunt. Itaque hoc certiſſime cognoſcit Deus, quod, ſi liberum arbitrium conſtituatur in tali, vel tali ordine rerum, & circumſtantiarum, ſecundum quod præciſe conſtituitur per Scientiam-Mediam ; certiſſime, inquam, cognoſcit Deus, quod tale liberum arbitrium creatum nunquam operabitur, & nunquam conſentiet . . . . Per hoc patet reſponſio ad omnia, quæ R. Pater propoſuit, quæ ſi conditiones apponerentur, eſſent certo futura. Ex quo autem capite habeant, quod eſſent certo futura, R. Pater tangere noluit. Ego vero dico, id habere ex decreto Divinæ voluntatis vel volentis, vel permittentis. Molina dixit, ex noſtra libertate. Ad alia non oportet reſpondere, ne tempus conſumamus.*

Quia autem duabus ultimis Lemoſii Reſponſionibus, ſuperiori Diſputatione datis, abutebatur Societatis Actor : & quæ ultimo tandem de futurorum cognitione ex parte objecti, materialiter conſiderati, ſecundum præciſionem metaphyſicam Lemoſius pronuntiaverat, cum iis promiſcue confundebat, quæ paulo ante de eorundem cognitione ex parte Dei, atque ut in ipſo revera datur, aſſeruerat ; colligebatque, conjecturalem cognitionem ab eo reipſa in Deo admiſſam fuiſſe : priorem reſponſionem ſuam Lemoſius reſumpſit, ac vindicavit : *Unum tantum*, inquit, *dixit R. Pater, videlicet me dixiſſe in præcedenti Congregatione, Deum ante decretum Divinæ ſuæ voluntatis (de facto) cognoſcere illa conditionata futura conjecturaliter : quod tamen nullo modo dixi, nec verbum de hoc protuli. Cum enim inſtaret, quod Deus cognoſcit illa futura conditionata ; ſic ego diſtinxi : Cognoſcit illa, diſtinguo : Poſt decretum ſuæ voluntatis, concedo ; ante decretum, nego. Non tamen dixi, quod ante decretum cognoſcat illa conjecturaliter, ſed quod ante decretum illa non cognoſcit eſſe futura : quia, ut modo dixi, illa non ſunt certo futura ante tale decretum : immo certiſſime cognoſcit Deus ante decretum, quod non eſſent futura, etiamſi conditiones illæ apponerentur.*

Vix credas, quot Baſtida tentarit artes, ut iteratam diſſimulatæ controverſiæ accuſationem diluere ; pudor enim erat, in eo probando defudaſſe, quod fatebatur adverſarius. Quapropter, ut confeſſionem eius, quaſi diminutam, aut mendoſam expeditam vellicare poſſet, interrogavit ſemel, & iterum ; An quæ de certa futurorum conditionatorum notitia dixerat, de futuris etiam liberis intelligeret ? An de malis, perinde ac bonis ? An de omnibus futuris, in Scriptura Sacra revelatis ? Num ſaltem hujuſcemodi futura, certo futura crederet ex vi conditionum ſuarum ?

Prioribus interrogatis reſpondit affirmate. Ad ultimum ait : *Quis dixit, illa futura ex vi illarum conditionum eſſe certo futura ? Ego dixi tantum in mea concluſione prima, Deum cognoſcere, illa eſſe certo futura conditionata, quæ certo futura ſunt, ſi tales conditiones apponantur ; non autem dixi, eſſe certo futura ex vi ipſarum conditionum. Hæc enim maxime diſtant. Veriſſimum eſt enim, Tyrios, & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi eis Chriſtus Dominus prædicaſſet ; non autem ex vi illius prædicationis, ſed ex vi decreti, quo decreverat Deus illos convertere, ſi eis ipſe prædicaſſet.* Noluit Baſtida in hanc quæſtionem ingredi de decreto Divino, a quo habeant futura libera, quod certo futura ſint : ſeque de illa dicturum, ſpopondit, in futura Congregatione. Obiter tamen objecit, reſponſum hoc contradictionem involvere ; cum in objecto futuro conditionato decretum abſolutum, atque omnino neceſſarium involveret.

Repoſuit Lemos, ac variis Sancti Thomæ teſtimoniis oſtendit, hanc meram eſſe neceſſitatem hypotheticam infallibilitatis, & conſequentiæ, quæ abſolute libertati non officit. Alio vero tenacius urgente, hujuſcemodi ſuppoſitionem antecedentem divini decreti, ex qua infallibiliter ſequitur effectus, humanæ libertati repugnare, eamque eſſe Sancti Anſelmi, & Angelici Doctoris mentem ; dictum Pelagianiſmi poſtulavit, nixus Sancti Proſperi ad Auguſtinum Epiſtola, in qua ſic ſcribitur : *Removeri omnem induſtriam, tolliquæ virtutes, aſunt, ſi conſtitutio Dei humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Anſelmum etiam, ac D. Thomam aliud ſenſiſſe, probavit Alvarelius, quam quod ipſis Molinæ Defenſor affinxerat. Prior enim lib. de Conc. præd. & lib. arb. cap. 2. ait : *Quando Deus vult, effectum ſequi voluntatem ; tunc neceſſe eſt, voluntatem eſſe liberam ; & eſſe, quod vult.* Alter 1. par. qu. 19. art. 8. ad 1. ſcribit :

Ne-

Necesse est, hanc conditionalem esse veram: Si Deus hoc vult, necesse est, hoc esse. Et ad 2. *Ex hoc ipso, quod nihil voluntati Divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant vel contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult*.

Ultimum illud D. Thomæ testimonium in rem suam vertit Joannes de Salas, affirmans, duo hæc stare non posse: Deum velle, hominem libere operari, & determinare conditiones, seu auxilium physicum efficax ad operandum. Unde & bis, ac tertio petiit, num Deus ante determinationem suæ voluntatis sciat, in quam partem sua voluntas sit determinanda? Respondit Lemos, Deum id determinate scire non posse: cum, ante decretum, determinatum non sit: certo tamen scire, ad id voluntatem suam determinatum iri, quod libuerit, & placuerit. Institit ille confidentius, id a Deo determinate sciri, contendens, ante decretum, quia effectui subsecuto conforme fuit. Negavit secundo Lemos; quia in signo, decretum antecedente, determinata conformitas non erat ob Divinæ voluntatis suspensionem, & indifferentiam. Cui ille: *Divina voluntas mansit quidem in suspenso, ut hoc vel illud posset velle; non autem Divina scientia*. Quo dicto, cœperunt ea de re Consultores mutuo conferre; Lemosique responsionem anteverterunt. Quare soluta disputatio est.

Judicium de superiori Disputatione.

(1) „ Congregatio 62. celebrata est die Martis, 29. Novembris, hora 17. anno Domini „ 1604. Censuit Congregatio, certam, & infallibilem esse scientiam, qua Deus cognoscit futura contingentia, dependentia a causa libera, „ tam absoluta, quam conditionata, quæ certo sunt futura, si tales apponantur conditiones, quales prædicantur. Quia tamen Patres Societatis non attigerunt, ex quo capite ejusmodi futura habeant, quod certo futura sint, id acturi in proxime futura Sessione; „ perstiterunt omnes in sententia, prout in Sessione sexagesima. Absolvitur Actio hora 19.

CAPUT XL.

Quid Congregatione sexagesima-tertia disputatum? Quid sexagesima-quarta definitum?

Die 6. Decembris 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 63. Præcepit Beatissimus Pater Societatis Theologis, ut propositæ quæstioni de Scientia-Media, semotis ambagibus, directe, & explicate satisfacerent: ad cujus nutum triumphabundus in arenam descendit Ferdinandus de Bastida, hocque sermone exorsus est. *Illuxit optata dies, qua nobis disputandum est, An ea cognitio certa, & infallibilis conditionalium liberorum, quam Deum habere monstravimus, in eo sit ante absolutum decretum Divinæ voluntatis, &c.*

Quæstionem affirmate definivit, seu fermo fit de decreto simpliciter absoluto, quo Deus rerum futuritionem absolute decernit, seu de decreto altero quæstio vertatur, quod in Deo quidem absolutum est, sed de objecto conditionali efformatur, dum nempe Deus non decernit; ut res absolute, ac simpliciter ita sit, sed sub alicujus conditionis hypothesi. Unde nullius decreti ope quæcumque futura libera præcognosci voluit. Assertionis suæ probationes attulit bene multas, Patrum testimoniis, rationibusque Theologicis confirmatas, quas referre superfluum esset. Nihil quippe in causæ Molinianæ patrocinium attulit, quod pervulgati Scientiæ-Mediæ tractatores non attigerint.

In iis confutandis totus fuit Thomas de Lemos. Cum enim de Divinorum decretorum necessitate, contra Scientiæ-Mediæ systema, in duabus ultimis disputationibus multa dixisset, totum hujusce Congregationis actionem in diluendis, ac confutandis objectionibus posuit. *Beatissime Pater*, inquit, *pervenerunt jam R. Patres, ut disputarent in hac tertia Congregatione circa dubium, a Sanctitate Vestra propositum; de quo quia ego jam in duabus Congregationibus satis ostendi, nihil magis damnasse S. Augustinum contra Pelagianos, quam scientiam illam futurorum contingentium, dependentium a causa libera, ante actuale decretum Divinæ voluntatis volentis, vel saltem permittentis illa futura, esse vel futura absolute, vel futura sub conditione; ideo ad præsens brevitati studens, unum solum, quod superest, explicabo: quod est respondere ad omnia in particulari, quæ R. P. modo proposuit. Omnia enim particulariter formavit contra illud decretum, quod ponitur in Deo absolutum ex parte volentis, licet sit, de objecto conditionato: quale fuit illud, quo secundum S. Augustinum decreverat Deus convertere Tyros, & Sidonios, si tamen eis Christus ipse prædicasset*.

Utrumque decretum absolutum dici voluit; tamesi unum de objecto conditionali efformetur: quia etiam tunc Deus firmam habet rei faciendæ voluntatem, si certa conditio ponatur. In id vero potissimum intendit, ut evinceret, nihil a Societatis Defensoribus in domesticæ causæ gratiam Prædicatoribus objici, quod olim Pelagiani non objecerint Augustino.

Dictis nihilominus stetit Bastida; eaque, novis accersitis copiis, defendit, Lemosium tandem sub orationis finem interrogans, Quid de futuris, in Scriptura Sacra revelatis, sentiret? Eane a Deo certo cognosci, fateretur? Respondit ille, satis ex supra dictis colligi, quid sibi ea in parte videretur, nihilque a se explicatius addi posse. Jubente tamen Pontifice, ut quæ de hujusmodi difficultate prolixius dixerat, compendio resumeret, ita subjunxit: „ Dixi supra tria substantialia. Primum fuit, Deum certo cognoscere omnia futura conditionata, quæ certo futura essent, si „ conditiones apponantur. Secundum, alia futura conditionata, quæ non essent certo futura, sed „ confinguntur futura sub illis conditionibus, Deus „ non cognoscit esse futura, nisi falsitas poslatur „ in intellectu Divino, qui cognoscat certo futura, quæ non sunt certo futura. Et hæc sunt, quæ „ involvuntur in objecto Scientiæ-Mediæ: de quibus tertio dixi, Deum cognoscere, quod ante „ actum suæ voluntatis nunquam erunt futura. Et „ sic certo cognoscit Deus, ante actum liberum „ suæ voluntatis, liberum arbitrium in tali ordine rerum nunquam operaturum. Et sic per „ hanc Scientiam-Mediam redditur impossibilis „ prædestinatio, & omnis hominis justificatio.

Breviorem expositionem desideravit Bastida, ac sibi uno verbo responderi voluit. Tunc Lemos: *Jam respondi: Si talia sunt, ut, conditionibus positis, sint certo futura, cognoscuntur. Nunc subsumo minorem: At conditionata, quæ involvuntur in objecto Scientiæ-Mediæ, non sunt talia, ut, positis conditionibus, sint certò futura*. Hic a Bastida interpellatus est, ne consequentiam juxta principia, tum in superiori, tum in hacce disputatione constituta, deduceret: Nempe, *Ergo hujusmodi futura, eo modo, quo supponuntur in Scientiæ-Mediæ objecto, a Deo certo cognosci non possunt; bene tamen*,

(1) *Ex Actis Secretarii.*

men, interveniente Divino decreto, quo eorum conditionatam futuritionem decernat, faciatque certo futura.

Consequentiam pro libito inferre voluit Societatis Actor, nova certe disputandi methodo, ut adversario peregrinum sensum commodius affingeret. Quam enim negabat ille futurorum notitiam, quatenus solum in objecto Scientiæ-Mediæ, nulloque posito decreto, intelliguntur, iste universe, & absolute ab illo negatam contendebat. Quamquam aliunde ignorare non posset, eum toties affirmasse, istiusmodi futura (verb. gr. Tyriorum conversionem) in Divino decreto certissime sciri. Atque hunc exitum habuit instituta de Scientia-Media disputatio.

Judicium de Disputatione, superius habita.

(1) „ Congregatio 64. celebrata est die Martis, 7. Decembris, hora 18. 1604. Resolvit „ Congregatio, persistendum in sententia, Quod „ non sit in Deo, ante decretum absolutum suæ „ voluntatis, certa, & infallibilis cognitio futurorum contingentium, dependentium a causa libera, qualem Molina Deo tribuit per Scientiam-Mediam. P. Rada dixit, ante decretum „ Divinæ voluntatis, sive absolutum, sive conditionatum, Deum certo non cognoscere futura „ contingentia, pendentia a causa libera; ex doctrina vero Molinæ de Scientia-Media necessario sequi, etiam posito quovis decreto, quod „ ipse excogitaverit, sive absoluto, sive conditionato, Deum non habere certam, & infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum; „ &, quod fortassis incidit in errorem eorum, „ qui dixerunt, Deum non esse causam nostrarum actionum, neque etiam concomitantem. „ P. Regens dixit, ante decretum absolutum Divinæ voluntatis Deum habere certam, & infallibilem cognitionem futurorum contingentium, „ pendentium a causa libera. Dum colligerentur „ vota, dixit P. Rada, ante decretum absolutum „ non dari talem cognitionem futurorum contingentium, dependentium a causa libera. Absolvitur prope horam 21.

CAPUT XLI.

Quid Congregatione sexagesima-quinta disputatum? Quid sexagesima-sexta definitum?

Die 4. Januarii 1605. habita est coram Clemente VIII. sexagesima-quinta Congregatio, cui primum interfuit Cardinalis Bufalo, sacris fidei Quæstoribus adscriptus. Actum de ultimo dubio: *An in præsenti disputatione, in qua tractatur, An Deus ante decretum prædestinationis habeat scientiam futurorum contingibilium, dependentium a causa libera, statuendum sit, unicum esse decretum Dei, in quo decernat velle salvare Petrum? An vero subjiciendum sit aliud, quo Sua Divina Majestas decernat conditionaliter velle salvare Petrum, ponendo illum in tali, & tali ordine rerum, dandoque illi talia, & talia auxilia, quibus si Petrus ex innata sua libertate consentiat, & bene utatur prædictis auxiliis, salvabitur? Et, An prædictus bonus usus dictorum auxiliorum proveniat a sola innata libertate, an vero a Gratia Dei, quæ facit, ut homo bene utatur dictis auxiliis? Et, Quæ ex istis sit sententia S. Augustini, & Ludovici Molinæ?*

Huic agitandæ quæstioni locum dedit superior de Scientia-Media disputatio. Objicientibus enim Prædicatoribus, Decretum prædestinationis absolutum non fore, si ex Scientiæ-Mediæ directione fieret, qua Deus in antecessum exploret, quid unaquæque voluntas, si in hoc, vel illo rerum ordine constitueretur, esset actura; consecutionem negarunt Molinæ Vindices. An igitur justo titulo negarint, ac juxta Molinianæ doctrinæ principia, disputandum fuit.

Consecutionem merito negatam fuisse, propugnavit Ferdinandus de Bastida; nihilque obesse contendit Molinæ systema de prævia Scientiæ Mediæ exploratione, quominus prædestinationis decretum absolutum afferatur. Causam in primis egit exemplis ex Scriptura Sacra, & Patrum auctoritate desumptis; tum Theologicis argumentis: ultimo objectam sibi difficultatem retorsit in adversarios.

Multa, inquit, in Scripturis, ac Patribus legimus a Deo statuta decreto plane absoluto; tametsi iis statuendis, ac decernendis futuri alicujus conditionati præscientia antecesserit. Sic breviandos Antichristi persecutionis dies, absoluto decreto definivit, præeunte hujusce conditionalis notitia: *Nisi fuerint abbreviati dies illi, non salvabitur omnis caro*. Sic electum puerum, ex hoc mundo eripiendum, absolute decrevit, prævia cognitione, qua intellectum ejus immutandum præsciverat, si diuturniorem vitam ageret. Sic Lazarum absolute suscitandum statuit, quia multos, eo viso miraculo, crediturosos, præsciebat &c. Pari igitur ratione, subintulit, Scientia-Media, consensus sub conditione futuri prævia exploratrix, absoluto prædestinationis decreto nihil obest. Nec idcirco Augustino repugnasse, aut conditionale prædestinationis decretum admisisse, Molina putandus est, quod istiusmodi præscientiam agnoverit.

Rursus, inquit, præcognitio efficacitatis medii, ad finis consecutionem necessarii, non officit absolutæ intentioni finis, vel absolutæ mediorum electioni; quin potius admodum juvat: non ergo præscientia, qua ante decretum salvandi Petrum præscit Deus, quibus auxiliis consensurus esset Petrus, si in eo rerum ordine poneretur, derogat absoluto decreto salvandi Petrum; immo prodest.

Tertio addidit: Admittunt Prædicatores, Deum scientia simplicis intelligentiæ cognoscere omnia futura conditionalia, quæ cum conditione intrinsece connectuntur; ut: Si Petro detur auxilium efficax, convertetur. Quo igitur jure scientia simplicis intelligentiæ antecedit absolutum decretum salvandi Petrum; ita præcedit hujusce futuri conditionati notitia: Si Petrus ponatur in hoc ordine rerum cum auxiliis per se efficacibus, recte iis utetur, ac salvabitur. Si ergo futuri conditionalis præscientia absoluto Prædestinationis decreto repugnat; nequidem in hypothesi Thomistarum absolutum erit.

Iis omnibus S. Augustini, ac D. Thomæ testimonio confirmatis, variisque subsidiariis argumentis ad juris abundantiam adductis, Molinæ de Divina prædestinatione mentem exposuit; quam hisce quinque capitibus sitam dixit. 1. Deum ante omnem actum liberum suæ voluntatis cognovisse varios ordines rerum, quos creare posset; & præscisse, de quocunque ordine qui, & quot homines salvarentur, si illum creare voluisset. 2. Deum, ea posita præscientia condionata, elegisse hunc rerum ordinem, quem reipsa exsecutioni mandavit, & voluisse, tot homines creare, eisque istiusmodi auxilia conferre. 3. Eam istius ordinis electionem unicum esse, ac simplicissimum actum. 4. Unicum illum, & simplicissimum actum, comparatione eorum, quos Deus præviderat, per hæc auxilia (si illis darentur) non fore salvandos, etiamsi salvari potuissent, rationem duntaxat habuis-

(1) *Ex Actis Secr.*

buisse communis providentiæ, & voluntatis conditionatæ, qua Deus illos ad æternam vitam ordinabat, quantum est ex parte sua: illum vero eundem actum electionis hujus ordinis rationem prædestinationis obtinere, comparatione horum ominium, quos Deus præviderat, si in hoc rerum ordine collocarentur, fore salvandos. 5. Eundem illum simplicissimum actum esse absolutam voluntatem non solum dandi media, ad salutem æternam efficacia, sed etiam absolutam voluntatem finis per media illa.

Alteram propositi dubii partem, qua de bono liberi arbitrii usu quæritur, responsione sua non attigit; Sanctitatem Suam enixe rogans, ut peculiarem ea de re tractationem fieri fineret.

Utramque distinctis conclusionibus attigit Thomas de Lemos, in actione succedens. Prima conclusio fuit: *Firmiter statuendum est, esse in Deo unicum prædestinationis decretum, quo Deus absoluta sua voluntate vult salvare Petrum, absque ulla alia dependentia, & conditione a voluntate creata Petri, prius prævisa. Et eadem firmitate negandum est illud aliud decretum, in dubio expressum sub illa conditione signata.* Secunda conclusio hujusmodi fuit: *Bonus usus auxiliorum gratiæ non provenit ex sola innata hominis libertate, sed ex Divina Gratia, quæ vere, & active proprie facit, ut homo bene utatur prædictis auxiliis.*

Ambas assertiones, ut fidei dogmata, adversus Pelagianos definita, propugnavit; probavitque ex Concilii Arausicani definitionibus, ex Summorum Pontificum, ac præsertim Cœlestini primi Decretalibus, ex Hilarii, & Prosperi ad Augustinum Epistolis, necnon ex controversiis, contra Massilienses habitis sæculo quinto, & a D. Thoma ætate sua renovatis.

Postmodum Molinianæ doctrinæ virus de conditionata voluntate Dei, a Bastida studiose dissimulatum, detexit, lecta quæstione 19. art. 6. disp. 2. ubi sic habet. *Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, qua liberum est, atque adeo sub conditione, si creatum arbitrium id etiam velit; at ea ratione absolute: quod, cum prævideat per arbitrium ipsum libere futurum, ex hypothesi, quod eum ordinem rerum velit creare, quem re ipsa creare constituit, ei placet, absolutaque jam voluntate vult, ut sit, quod ita libere futurum est, potestque non esse. Hac ratione Deus Optimus Maximus vult omnia bona, quæ per arbitrium nostrum sunt futura, non solum voluntate conditionali, si nos quoque ea velimus, sed etiam voluntate absoluta; quatenus ipsi prævidenti ea futura placent, eademque Divina ejus, & singularis bonitas per arbitrium nostrum intendit, ac vult.* Ex quibus compertum esse, ait, Molinam eam duntaxat voluntatem absolutam in Deo admisisse, qua decernit, hominem in tali rerum ordine, atque sub his, vel illis auxiliis constituere; cæterum voluntatem alteram, qua Deus hominem, eo in ordine, ac sub ijs auxiliis positum, operari decernit, omnino conditionatam existimasse, ea conditione, qua Deus sibi maxime complacet; si nempe homo ipse voluerit.

Hinc Bastidæ argumentis, quibus præscientiam alicujus futuri conditionati nihil absoluto decreto prædestinationis repugnare contenderat, uno verbo satisfecit. Distinxit scilicet duplicem præscientiæ modum: Alius est, inquit, quo res futura prædicitur sub conditione, pendente ab ejus voluntate, qui decernit: alius, quo res futura præcognoscitur sub conditione, pendente ab alterius arbitrio. Prior non obest, quominus subsequens decretum absolutum dici possit; quia conditio, ex qua rei futuritio dependet, in decernentis est potestate. Posterior e contra; quia is absolute decernere nequit, cujus decretum ab alterius voluntate pendet, ut ratum sit. Unde Bastidam a quæstionis instituto aberrasse, ait, qui ea duntaxat exempla protulerat, & argumenta, quibus præscientiam futuri conditionalis, a Deo voluntate pendentis, ejus absoluto decreto minime repugnare demonstratur: dum de præscientia media quæstio verteretur, qua Deus ante decretum Prædestinationis præscire fingitur futurum conditionatum, ab hominis voluntate dependens.

Novo impetu disputationem redintegravit Ferdinandus de Bastida. Absolutum Prædestinationis decretum nusquam a se negatum, contestatus est; atque ita in eo demonstrando frustra Lemosium defudasse. Respondit ille, se in hoc uno demonstrando non hæsisse, sed maxime ut evinceret, absolutum illud Prædestinationis decretum nulla niti conditione, quæ ab humana voluntate pendeat, aut eam exspectet pro sua efficacia obtinenda. Istud etiam a se lubenter admitti, ait Bastida. Verum lacessitus Molinæ auctoritate, qui hujusmodi conditiones totis viribus propugnat, subjunxit: *Si Molina hoc dixit; quid amplius vult vestra Paternitas, quam obtinuisse a me, ut Molinæ sententiam condemnem?* Hujusce tamen examen facti in finem disputationis distulit; atque interim Societatis Auctores, qui Deum voluntatem nostram exspectare docent, vindicandos aggressus est, illosque de exspectatione consensus nostri ad justificationis gratiam conferendam locutos, dixit: quasi Deus, collata semel gratia præveniente, consensum hominis exspectet, ut gratiam justificationis elargiatur.

Expositioni, uti minus orthodoxæ, intercessit Thomas de Lemos: *Non exspectat consensum nostrum, sed facit.* Dictis nihilominus sterit Societatis Defensor: quia, inquit, Deus consensum nostrum libere operatur, nostramque idcirco voluntatem exspectare cogitur. Quin immo Prædicatores, tanquam violatæ libertatis reos, habuit; quod nedum æternum prædestinationis decretum, verum etiam temporaneam ejus exsecutionem, ab humana libertate independentem, assereret.

Accusatio non sine morsu repulsa est. Pater, reposuit Lemos, *agimus de re gravi in conspectu S. D. N. & non licet opponere nobis, quod non diximus. Ego dixi, quod actus Divinæ voluntatis, eligentis ad gloriam, in sua efficacia non dependet a libero arbitrio hominis: & tu, Pater, dicis, me dixisse, quod actus liberi arbitrii circa exsecutionem non dependeat a libero arbitrio. Hoc ego nunquam dixi.* Quapropter, ea missa difficultate, ad vindicias Molinæ se contulit. Qua in re moleste tulit, complacentiæ vocabulum, quod in exponendo Prædestinationis mysterio, Molina usurpaverat, vellicatum fuisse; cum illo ipso non absimili occasione Christus Dominus usus esset, Matt. 12. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

Respondit, qui vellicaverat, Christi sensum a Moliniano toto cœlo distare; nam ille de Patris complacentia in sui ipsius voluntate, ac prædestinatione locutus est; ille, de Dei in nostra voluntate complacentia, post prævisa opera, ex solo arbitrio futura. Placuit Pontifici data responsio: *Apparet*, ait, *aliquid amplius Molinam dixisse, quam Christum, quando addidit: Post prævisionem operum.*

Hæsit ad hæc Societatis Actor; nodique solutionem distulit in aliud tempus. Cæterum, ne causa omnino excidisse videretur, Molinæ defensionem alio ex capite tentavit: nullam illi movendam litem, contendens, quod Prædestinationem ad gloriam, meritorum prævisione posteriorem, docuisset, cum ea de re Scholastici Theologi,

logi, salva fide, ac religione disputent. Fugientem Actorem, ac pro arbitrio divertentem, insecutus est Thomas de Lemos, & quæsitam ex Scholasticorum diffidiis excusationem nihil juvandæ Molinianæ causæ prodesse, demonstravit. *Dupliciter enim*, inquit, *potest quis asserere, electionem ad gloriam fieri ex prævisis operibus. 1. Ita, quod Deus primo decernat, dari homini efficacem gratiam, ex cujus vi, & efficacia bene operetur; & deinde, quod ex prævisione operum, & meritorum, procedentium ex efficacitate gratiæ, Deus illum eligat ad gloriam. Et qui sic diceret, licet male philosopharetur, constituendo in Deo prius volitionem mediorum efficacem, quam efficacem intentionem finis; tamen ab errore Pelagianorum inveniretur immunis; quia jam admitteret, nihil habere hunc hominem, quod non procederet ab efficacia gratiæ Dei: & hoc modo possunt aliqui Scholastici sine errore Pelagianorum procedere. Alio modo fit electio ad gloriam ex prævisione innatæ libertatis, ex se sola utentis auxiliis gratiæ, & illa efficacia reddentis, ut eligatur ad gloriam. Et hæc, a quocunque dicatur, est aperta sententia Pelagianorum. Illi enim in hoc errabant, dicentes, quod electio ad gloriam non fiebat ante prævisionem innatæ libertatis hominis bene utentis ex se ipsa auxiliis gratiæ.*

Tum nonnullas S. Augustini, ac D. Thomæ propositiones, quas pro asserendo Molinæ systemate Bastida detorserat, sano sensui restituit: atque hoc pacto disputatio soluta est.

Judicium de ultima Quæstione disputata.

(1) „ Congregatio *66.* celebrata est die Mer„ curii, 5. Januarii, hora 17. 1605. de puncto, „ quo quæritur, *An Prædestinatio fiat per unum, „ vel plura decreta, aut decretum absolutum Dei?* „ Resolvit Congregatio, Prædestinationem fieri „ per unicum, idque absolutum Dei decretum, „ quo Deus statuit, iis, quos elegit, dare glo„ riam, & media necessaria ad illam consequen„ dam: & hanc esse sententiam S. Augustini; „ & ab hac omnino defecisse Molinam in sua „ Concordia, constituendo Prædestinationem „ non in absoluto Dei decreto, sed in electione „ ordinis. Pater Regens dixit, decretum esse ab„ solutum de nostra salute, dependente a nostro „ consensu; qui tamen consensus est in nobis a „ Deo, & in ejus potestate, ut eum faciat, in „ quocunque voluerit. Absolvitur prope ho„ ram 20.

CAPUT XLII.

Quid Congregatione sexagesima septima disputatum? Quid sexagesima-octava, eademque ultima definitum?

DIe 21. Januarii 1605. coram Clemente VIII. Congregatio *67.* celebrata est; ad quam primo admitti cœpit Cardinalis Jacobus Davi Du-Peron. Actum de ea ultimi Dubii parte, cui Bastida respondere neglexerat: *An bonus usus Divinorum auxiliorum proveniat a sola innata libertate; an vero a gratia Dei, quæ faciat, ut homo bene utatur dictis auxiliis? Et quæ ex illis sit sententia S. Augustini, & Ludovici Molinæ?*

Vetuit Pontifex Patribus Societatis, ne ad peregrinas quæstiones diverterent, aut a propositæ difficultatis scopo declinarent. Cui Ferdinandus de Bastida, morem gerens, pro Societatis causa copiose dixit.

Probandum aggressus est, *Bonum auxiliorum gratiæ usum (licet nunquam sit ab arbitrio, nisi prævento per excitantem gratiam, & per cooperantem adjuto) esse tamen ab arbitrio sine illa gratia prædeterminante, vel ex se efficaci, quam in se habeat: & in hoc sensu esse ab ipso solo.* Alias consequens esse voluit, liberum arbitrium, ut liberum est, nullam in auxiliorum usu partem habiturum, si a Gratia ex se ipsa efficaci penderet; illumque usum, quantus quantus est, atque ipsum etiam auxiliorum abusum soli Deo fore adscribendum.

Primam partem de bono auxiliorum usu hocce syllogismo demonstrare conabatur. Si bonus auxiliorum usus, seu inspirationis receptio revocetur ad gratiam, quam arbitrium non possit abjicere, liberum arbitrium nihil omnino aget, bene utens auxilio, inspirationemque recipiens: Sed, si bonus usus proveniat a Gratia ex se sola efficaci, seu physice prædeterminante; revocatur in gratiam, quam liberum arbitrium non potest abjicere: Ergo eo ipso, quod in talem gratiam revocatur, liberum arbitrium nihil omnino agit ad talem usum, ut liberum est. Supposita Majoris certitudine, hæsit in Minoris probatione, hoc nixus fundamento: quia liberum arbitrium (fatentibus Prædicatoribus, atque ipso etiam Bannesio, Molinæ accusatore, concedente) non potest reddere inefficacem gratiam ex se sola efficacem, nec eam ab assensu sejungere, cui indivise connectitur. Ac ne quis speciosæ probationis vim elideret, pervulgata sensus compositi, & divisi distinctione, quæ passim in Scholis Catholicis volitat, eandem validius impetiit, non quo solet a Thomistis sensu defendi, sed Calviniano, ac Lutherano; monstrum sibi fingens, cui bellum indiceret: *Sed dices*, ait, *non posse arbitrium abjicere gratiam, ex se sola efficacem, in sensu composito: hoc est non posse impedire, quominus, si semel hæc gratia in arbitrio ponatur, sequatur voluntatis consensus, & auxiliorum usus; at posse in sensu diviso gratiam abjicere, illique dissentire, nimirum, quando sine tali gratia exsistit, ab illaque separatum, & divisum est, vel, ut separari potest, consideratur.*

Alteram instituti partem de Divinorum auxiliorum abusu, seu, ut ipse loquitur, de carentia boni usus, in Deum ipsum refundenda, in hypothesi necessitatis gratiæ ex se efficacis, isto profecutus est argumento. Denegatio auxilii efficacis in hac opinione est adæquata causa carentiæ boni usus auxilii: Sed denegatio efficacis auxilii a solo Deo est: Ergo carentia boni usus auxilii a solo Deo est, solique Deo tribuenda venit. Hujus argumenti propositiones singulas ex Bannesii doctrina, & pervulgato Thomisticæ Scholæ principio deduxit: quod videlicet liberum arbitrium, efficaci gratia destitutum, eam aliquo actu positivo comparare nequeat.

(1) *Ex Actis Secretarii. In Compendio sic:* Quod ad primam partem Articuli propositi spectat, resolvit Congregatio, secundum veram, & Catholicam doctrinam constanter tenendum esse: Antecedenter ad omnem Scientiam-Mediam ejus, quod quælibet voluntas, si in tali, vel tali ordine rerum constituatur, sit actura, Prædestinationem æternam fieri per unicum, idque absolutum decretum, quo Deus statuit, certos quosdam homines, cæteris in massa perditionis relictis, misericorditer pro suo beneplacito liberare, eisque gratis dare gloriam, & media, quibus certissime liberentur. Et ab hac sententia, quam S. Augustinus constantissime docuit, & tanquam fidem Ecclesiæ, acerrime defendit contra Pelagianos, & eorum reliquias; & quam Summi Pontifices, Cælestinus, Leo, Gelasius, & Hormisdas approbarunt, omnino defecisse Molinam in suo libro de Concordia Liberi Arbitrii cum Gratiæ donis, Divina præscientia, providentia, & Prædestinatione, ut circa Propositionem XIV. dictum est.

Impetita adversarii sententia, propriam posuit, nihil ad bonum auxiliorum usum a Deo desiderari asserens, præter gratiam prævenientem, in mera excitatione, & invitatione sitam, & gratiam concomitantem. Dicti ratio duplex fuit: 1. Quia Concilium Tridentinum non nisi excitantem, *seu prævenientem*, & adjuvantem, *seu concomitantem* gratiam agnovit: ita enim Sacræ Synodi sensum interpretari libuit. 2. Quia gratia excitans sufficientem homini potentiam largitur ad opus quodcunque supernaturale: concomitans Deum nobis cooperatorem facit. Quæ duo plus satis abundant.

Totum id, congestis Augustini testimoniis, confirmavit; quibus vel hominem interius a Deo vocari, vel vocanti gratiæ obsistere posse docet; aut gratias excitantes, inspirationes, invitationes, admonitiones Divinas commendat. Libros etiam, a Pelagianis Auctoribus editos, sub Augustini nomine protulit, ne quid juvandæ, ac promovendæ causæ deesset.

De Molina dixit ultimo loco, cujus orthodoxiam hoc uno titulo defendit, quia prævenientem gratiam, excitantem, & cooperantem ad bonum Divinorum auxiliorum usum necessariam admisit.

Successit in actione Thomas de Lemos. Noluit in Catholici dogmatis probatione diutius immorari: sed, quam superiori Congregatione posuerat, operam pro causæ merito ratam habuit. Torus pene fuit in detegendis Societatis artibus, quibus, Pelagianorum more, tanto verborum fuco periculosa dogmata obtegebant, ut quod de iis monuit Augustinus, istis accommodari merito posset: (1) *Quisquis hæc audit, & sensum eorum ignorat, quod in eorum libris, atque scriptis satis manifeste ostendunt, hoc putat eos dicere, quod veritas habet. Quisquis autem, quod in suis libris apertius dicunt, diligenter advertit, non solum debet habere ista verba suspecta, sed manifeste deprehendet, hoc solum verbis proferre, totum autem contrarium sensu, & sententia firmari*. Versutiæ istius specimen dedit in eo, quod Bastida pertractaverat, argumento. Quid enim, inquit, frequentius ad ostentationem jactitare solent, quam speciosum efficacis gratiæ nomen? At, si rem penitius attenderis, illos reipsa negare invenies, quod prima fronte affirmare videbantur; quippe qui gratiam, ab effectu duntaxat, & ex arbitrii cooperatione efficacem, defendunt. Bonum auxiliorum usum a Divina Gratia repetendum, ajunt; at gratiam intelligunt excitantem, & allicientem, quam legis, ac doctrinæ loco haberi, voluit Augustinus. Deum bonam voluntatem in nobis operari, profitentur; at totum id suasionibus, excitationibus, admonitionibus, ac metaphorice tantum fieri, decernunt; seu verius, fieri negant: quemadmodum in Suaresio, locupletissimo Societatis interprete, observavit, lib. 3. de Auxiliis cap. 2. 5. & 13. & lib. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 15.

Ea ratione, velut evanidam, exsufflavit Molinianæ doctrinæ apologiam, a Bastida tentatam: quia, cum ille excitationum, & suasionum apparatus voluntatem ipsam revera non flectat, ac proprie moveat; non obest, quominus gratiæ usus nativis ejus viribus adscribatur. Hinc ille ipse, sententiæ suæ dignus interpres, post pompaticas illas excitantis gratiæ commendationes, innatis liberi arbitrii viribus bonum Divinorum Auxiliorum usum assignat. Sic quæst. 23. artic. 4. disp. 1. memb. 11. §. *Postremo*, ait: *Quod hi cum majoribus auxiliis prædestinati, & salvati non fuerint; illi vero cum minoribus prædestinati, & salvati fuerint, non aliunde fuit, nisi quia illi pro innata libertate noluerunt ita uti suo arbitrio, ut salutem consequerentur; hi vero maxime*: quibus similia habet quæst. 14. artic. 13. disput. 12. Sic quæst. 23. artic. 4. & 5. disp. 1. memb. 10. §. *Unde quando*, assensum arbitrii, collata gratia bene utentis, effectum Prædestinationis, & Gratiæ esse, negat, quatenus ab arbitrio est. Sic disput. 39. scribit, *Deum ex gratia non applicare, nec movere liberum arbitrium ad actum, ita quod liberum arbitrium, prius natura motum, & applicatum a Deo, agat*. Sic disp. 26. & 27., Editioni Antverpiensi addita, S. Thomæ doctrinam de Dei in causas secundas influxu vellicat, uti commentitiam, & inimicam libertati.

Non absimili modo Bastidæ momentis occurrit Vir eruditus. Primum occupavit pervulgata sensus compositi, & divisi distinctione, quam a Bastida præpostere, & ignoranter intellectam ostendit: Ejus sensum his verbis exposuit: *Posse hominem resistere in sensu diviso nihil aliud est, quam habere liberam potentiam ad resistendum, sive posita gratia, sive non posita; Semper enim, etiam apposita efficacissima gratia, habet homo liberam potentiam ad illam abjiciendam. Sensus autem compositus est, in quo componitur actus cum actu; actus scilicet Divinæ voluntatis, volentis, illum gratiæ consentire, cum actu dissentiendi. Itaque, cum componitur efficacia gratiæ cum potentia libera, non est sensus compositus; sed cum simul componitur actus Divinæ voluntatis, efficaciter per gratiam moventis hominem ad consensum, & simul ejus dissensus*. Secundum autem argumentum de Divinorum auxiliorum abusu, in Deum ipsum refundendo, quod olim a Pelagianis adversus Augustinum toties refricatum est, jam satis a se in superioribus disputationibus solutum, ac confutatum, respondit; nec ultra in ejus confutatione desudandum. Quapropter in reliquis adversæ sententiæ fundamentis suffodiendis operam posuit. Ostendit, gratiæ divisionem in excitantem, & adjuvantem eandem non esse cum divisione in prævenientem, & concomitantem, quasi sola gratia excitans præveniat voluntatem: sed gratiam adjuvantem, sive efficacem, perinde prævenientem esse, & cooperantem. Probavit insuper, gratias excitantes non obesse, quominus gratiæ, ex se ipsis efficaces, aliunde desiderentur ad bonum Divinorum auxiliorum usum: Præsertim quia ipsimet Massilienses, ut paulo ante ostenderat, gratias excitantes, tum prævenientes, tum concomitantes admisere; bonumque auxiliorum usum, non puris naturæ viribus, sed illis, istiusmodi gratia præventis, tribuerunt. *Constat*, inquit, *S. Augustinum libro De Prædest. SS., & De dono perseverantiæ, egisse contra Pelagianos illos posteriores, Massilienses, qui gratiam istam excitantem, & cooperantem admittebant. Cassianus enim illam admisit, ut constat aperte ex Collatione* 13., *de qua sæpius a nobis actum est. Et Faustus etiam Rhegiensis, cujus doctrina est damnata, illas excitationes prævenientes, & cooperantem gratiam admisit, ut constat aperte ex* 1. *&* 2. *libro de gratia, & humanæ libertatis arbitrio. Immo Julianus admisit gratiam cooperantem, ut patet ex lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 19. *ubi id aperte dicit S. Augustinus. Admisit & excitantem, ut patet ex lib. de Gratia Christi. Constat igitur, quod S. Augustinus contra illos damnat non solum bonum usum Arbitrii mere naturalem, cui gratia tribuebatur, sed etiam damnavit bonum usum, supponentem gratiam; ex qua tamen concludebant, illum bonum usum non fieri, sed tantum ex arbitrii libertate præsecita*.

Multa adversus Lemosii dicta reposuit Ferdinandus de Bastida, ut Molinæ sententiam de bono auxiliorum usu emolliret, eamque Augustinianæ doctrinæ geminam ostenderet. Sed, ut erant in superioribus disputationibus occupata, ad priora dicta se retulit Thomas de Lemos. Ac tandem post prolixam de Calvini sensu concertationem, in quem Thomistas incidere, contenderat Societatis Actor, illuc disputatio perducta est, ut solam excitantem gratiam a Molina defendi, utrique faterentur, quamquam qui pro Prædicatoribus dicebat, nequaquam illam obesse, contenderet, quominus gratiæ usus nativis arbitrii viribus adscriberetur. Disputatio hora 21. finita est.

(1) *Lib. de Gratia Christi cap.* 2.

Judicium de bono Divinorum Auxiliorum usu.

(1) „ Congregatio 68. celebrata est die 22. „ quæ fuit dies Sabbati mensis Januarii, hora 17. „ 1605. de usu auxiliorum. Resolvit Congregatio, bonum usum auxiliorum, secundum S. „ Augustini doctrinam, esse a gratia; secundum „ vero Molinam, esse ex sola innata libertate. „ Quod & ex pluribus testimoniis S. Augustini, „ & ex multis ex opposito productis ex Concordiæ libro, compertum fuit. P. Regens dixit, bonum usum auxiliorum esse a gratia, „ quæ facit, ut homo faciat; idque secundum S. „ Augustinum. Quod vero attinet ad modum „ faciendi, ut homo faciat, bene salvari hanc „ sententiam, & omnia, quæ docuit S. Augustinus hac de re, cum modo, quo Molina, & „ ejus Defensores illam exponunt per gratiam „ congruam, & aptam, prout Deus cognovit, „ illis congruere. Dimittitur Sessio post hora 21.

CAPUT XLIII.

Recentium hujus Historiæ Interpolatorum adversus quintum Examen quærimoniæ diluuntur.

Qui Divinorum auxiliorum Historiam turpius adulterarunt, istam præ cæteris instituti Examinis partem corruperunt, qua totum pene lati judicii robur positum norunt. Hos inter primas retulit Paulus Leonardus, qui, ne tot solvendis nodis importunius defatigaretur, rem uno verbo confecit: a nemine, inquiens, sciri posse, quid hoc publico Examine Censores rogati subscripserint. Quippe (addit) (2) Clemens Papa, finita in apertis disputationibus cujusque articuli discussione, Censores, remotis testibus, advocabat, quorum intellecta sententia, sub gravissimis censuris interminabatur, ne quidquam ullo pacto propalarent. Ac propterea latebant communicata illa de propositis quæstionibus judicia in arcano Pontificiæ mentis scrinio, aut intimis Inquisitorum Generalium pectoribus. Undenam igitur (exclamat) sciri valeat, quid illa tam sigillata communicatione unusquisque Censorum apud Christi Vicarium de agitata lite contestatus sit? Non ipsi, qui Censuris adstringebantur, revelabant: non supremæ Inquisitionis Judices, quibus, ut decet, profunda erat taciturnitas: non Summus Christianorum Antistes, indicti silentii auctor. *Quin immo*, concludit lepidus conjector, *licet qualis exstiterit minutatim publici Examinis Censura, prorsus ignoremus, quia originalia Acta consulere non licuit; tamen, si ex effectibus, & fama divinandum est, magna spes est, data tum suffragia pro Scientia-Media*.

Leonardum suis divinationibus ali, per me licet: solidiorem cibum optabunt, opinor, viri prudentes, & eruditi; nec vanas illas rabularum declamationes Actorum fidei, quam non illis, sed nobis consulere libuit, anteponent. Quid est enim, quod indicti silentii legem adeo jactitant nugivenduli, ut nihil ea de re sciri posse, demonstrent? Certe non sumus nos, qui vel Eminentissimos Cardinales, vel secundi ordinis Judices, Censuras suas contra secreti jura propalasse, existimemus. At, si quæ Congregationum Secretarii in commentarios retulerunt, jam tandem post illorum obitum ad nos usque pervenere; si ea in publicis Urbis Bibliothecis intueri jam, ac legere licet; quid impositam Censoribus silentii legem obtendere juvat, eorumve in servando juramento religionem commendare, necessum est? Siluerunt illi quidem, quandiu vixere; eorumque pectoribus, ut cum Themistocle loquar, arcana putruerunt: verum quæ posteritati reliquere, scripta loquuntur, nec interminatæ censuræ pœnam metuunt.

Nihilo firmior est altera Ripaldæ criminatio, qua Societati irrogatam injuriam, obtendit; dum illis, ut ait, (3) initio hujus Examinis postulantibus, ut de physica Prædeterminatione ageretur, renuit Clemens VIII. Quis enim æquissimo Pontifici jure succenseat, si ab ea quæstione initium fieri noluisset, quæ in jus vocata non erat? Aut quis unquam Reo concedendum putet, ut prius Actoris expendatur causa, quam sua? In hac siquidem controversia Dominicanos Actores exstitisse, non Reos, nemo nescit.

Sed & illud omnino commentitium est, Societatis Theologos postulasse, ut a physica Prædeterminatione disputationis initium fieret. Quin potius, quoties ea de re disserendi se dabat occasio, aut ad id sponte ducebat disputationis argumentum, toties illi quæstionem hanc in aliud tempus differri supplicabant. Exemplo est prima Congregatio; ubi, Alvaresio hujuscemodi difficultatem movente, responsum negavit Gregorius de Valentia, eaque de re non adeo intempestive disputandum, ait. Idem evincitur ex decima-tertia Congregatione: enata quippe quæstione de modo efficaciæ Divinorum auxiliorum, moras petiit Jesuitarum Præpositus; nec eam ante tractari voluit, quam ad consulendos supra quinquaginta Societatis Theologos, induciæ concederentur. Ac tandem in quadragesimo-septimo Congressu, rursus hujusce tractationem argumenti alio distulit Ferdinandus de Bastida, dum de gratia præveniente ex Concilii Tridentini mente sermo esset.

Eodem ararunt vitulo, qui istius quinti Examinis occasione Fratribus Prædicatoribus objiciunt, quod certam futurorum contingentium notitiam Deo negarint, ubi de Scientia-Media disputatum fuit. Conspirant in hujus figmenti asser-

(1) Ex *Actis Secret. At in Compendio sic*: Resolvit Congregatio, secundum doctrinam S. Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos, ex Divinis Scripturis plene, cumulateque comprobatam, Gratiam Christi efficacem esse præviam, non pedissequam, & influere in voluntates hominum bonum motum voluntatis eorum, atque adeo bonum usum auxiliorum esse effectum gratiæ efficacis: Secundum vero doctrinam Molinæ, qui negat, gratiam adjuvantem esse influxum in voluntatem, & constituit, gratiam, & voluntatem concurrere, tanquam causas partiales, ad actus supernaturales, atque gratiam efficacem non ab omnipotentia Dei, & absoluta ejus voluntate, quod docuit S. Augustinus, sed ex consensu liberi arbitrii habere suam efficaciam; bonum usum auxiliorum esse ex sola innata libertate: quod est omnino Pelagianum.

(2) 1. p. sect. 4. n. 20. & 21. (3) Tom. 2. disp. 113. sect. 12. & 13.